DE LITIS INSTRUMENTIS

QUAE EXSTANT

IN DEMOSTHENIS QUAE FERTUR ORATIONE ADVERSUS NEAERAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOSEPHUS RIEHEMANN

OSNABRUGENSIS.

LIPSIAE

TYPIS FRANKENSTEINI & WAGNERI

MDCCCLXXXVI.

DE LITIS INSTRUMENTIS

QUAE EXSTANT

IN DEMOSTHENIS QUAE FERTUR ORATIONE ADVERSUS NEAERAM

SCRIPSIT

JOSEPHUS RIEHEMANN.

Litis instrumenta, quae orationibus nonnullis atticorum oratorum inserta ad nos pervenerunt, utrum genuina existimanda essent necne, viri docti usque ad nostram aetatem saepe ac diligenter disseruerunt.[1]) Initio eos praecipue iis formulis operam dedisse, quae in Demosthenis de corona oratione exstant, propter orationis ipsius claritatem atque gravitatem rerum, de quibus ea agitur, non mirum videtur. Nonnullas difficultates, quas illae habent, cum Boeckhius[2]) aliique tollere studuissent, Droysenius[3]) maxime frustra adversante Boehneckio[4]) auctoritatem earum gravissime labefecit. Idem iudicium de ceteris omnibus litis instrumentis, quae in aliis orationibus exstant, faciendum esse imprimis Westermannus[5]), vir antiquitatum graecarum peritissimus, tribus commentationibus demonstrare conatus est. Quam sententiam praeter multos alios viros doctos Voemelius[6]) comprobavit, qui ipse antea auctoritatem formu-

---

[1]) Omnia fere scripta, quae ad hanc quaestionem pertinent, Wortmannus in dissertatione quae inscribitur „De decretis in Demosthenis Aeschinea exstantibus atticis libelloque Aeschinis" Marburgi 1877 pag. 1 sqq. composuit.

[2]) Abhandlungen der Berliner Akademie, hist.-philos. Klasse 1827 pag. 129 sqq. (Opuscula IV pag. 266 sqq.).

[3]) Zeitschrift für die Altertumswissenschaft 1839, no. 68 sqq; ibidem 1845 no. 2 sqq.

[4]) Forschungen auf dem Gebiete der attischen Redner 1843.

[5]) a. De litis instrumentis, quae exstant in oratione in Midiam 1844.

b. Untersuchungen über die in die attischen Redner eingelegten Urkunden in Abhandlungen der sächs. Gesellsch. der Wissensch. phil.-hist. Klasse 1850 I pag. 1 sqq.

c. De iurisiurandi iudicum Atheniensium formula, quae exstat in Demosthenis oratione in Timocratem 1858.

[6]) Zeitschrift für die Altertumswissenschaft 1851 no. 30 et 31. Praef. ad Dem. or. c. Aesch.

larum Demosthenis de corona orationis defenderat.[1]) Denuo mota est quaestio, cum ex duabus quibusdam inscriptionibus, de quibus Kirchhoffius[2]) et Koehler[3]) disputaverunt, plane appareret, et nominum catalogos Andocidis orationi de mysteriis insertos genuinos esse et quae insunt in legis cuiusdam formula, quae exstat in Demosthenis Macartatea, recte se habere. Quo factum est, ut intellegeretur, propterea solum, quod nonnullis formulis sine dubio fides non habenda est, minime licere de auctoritate ceterarum omnium dubitare.

Atque profecto Wachholtzius[4]) titulo illo, quem Koehler sagaciter suppleverat, ad formulas orationis in Macartatum habitae percensendas adductus eas genuinas esse demonstravit, et idem J. E. Kirchner[5]) de illis docuit, quae in orationibus adversus Lacritum et priore adversus Stephanum habitis exstant.

Neque magis mea sententia dubitandum est, quin testimonia, leges, ceterae formulae Pseudo-Demosthenicae in Neaeram orationis, ex quibus non pauca ad Atheniensium antiquitates intellegendas hauriri possunt, genuina sint. Equidem non solum difficultates, in quibus viri docti offenderunt, si non omnes, at certe maximam partem tolli, sed etiam nonnulla ad formularum fidem augendam afferri posse putaverim.

Quod ad originem formularum attinet, omnes aut falsarii

---

[1]) Die Echtheit der Urkunden in des Demosthenes' Rede vom Kranze. Francofurt. a. M. 4 progr. 1841—1844. Nachtrag zu den Abhandlungen über die Echtheit der Urkunden bei Demosthenes 1845.

[2]) Jahns Jahrbücher, vol. 81 pag. 238 sqq.

Monatsberichte der Berliner Akademie 1865, pag. 541 sqq.

[3]) Hermes II, pag. 27 sqq.

[4]) De litis instrumentis in Demosthenis quae fertur oratione in Macartatum diss. Kiliensis 1878.

[5]) De litis instrumentis, quae exstant in Demosthenis quae fertur in Lacritum et priore adversus Stephanum orationibus. diss. Halensis 1883. Nonnulla quidem in hac commentatione Seeliger Philologischer Anzeiger XIV p. 385 sqq. recte reprehendisse mihi videtur; sed summam rerum, quas Kirchner exposuit, non in dubium vocandam esse puto, praesertim cum is Rhein. Museum XXXIX, p. 309 sq. ostenderit, praeter illa nomina, quae iam in dissertatione attulit, duo alia, quae in formulis inveniuntur, titulis quibusdam nuper repertis fulciri.

manu fictas aut a logographo ipso orationi insertas esse existimo. Nam tertium, quod praeter nonnullos alios Philippi [1]) ponit, formulas, si quidem genuinae essent, ex tabulariis publicis vel aliunde promptas a rhetoribus interpositas esse, fortasse de legibus, decretis, aliis eiusmodi litis instrumentis dici potest; testimonia autem, quorum argumentum ad causam litigantium tantum spectare solet, tam diu servata fuisse, vix credibile est. Quod cum Philippi concedat, necessario ad eam pervenit sententiam, quam falsam esse Wachholtzius atque Kirchner demonstraverunt, omnia testimonia, quaecunque habemus, supposita esse.

Priusquam ad singula accedam, restat, ut de subscriptionibus stichometricis paucis disputem, quibus viri docti saepe ad auctoritatem formularum infirmandam usi sunt. [2]) Ut enim de multis veterum scriptorum libris, ex quot constarent versibus, traditum nobis est, ita quadraginta fere Demosthenis orationibus in codice Σ et nonnullis earum in aliis quoque codicibus numeri stichorum subscripti sunt. Quos, ut id statim addam, *κῶλα* orationum significare Blassio [3]) non assentior neque, quod videam, quisquam ex viris doctis, qui de hac re disputaverunt, eum secutus est.

Ex computationibus autem, quas imprimis accurate Graux [4]) instituit, stichum circiter triginta quinque literas complecti efficitur. Quod si tenemus, cum longitudine orationum de corona, in Midiam, Lacritum, Macartatum [5]) numerum stichorum non congruere cognoscimus nisi formulis omissis. Unde iure concluditur, in eo codice, ad quem spectant numeri stichorum nobis traditi, eas non fuisse.

---

[1]) cf. Fleckeisens Jahrbb. vol. 105 p. 606.

[2]) Nuperrime Wachsmuthius in Mus. Rhen. XL pag. 301, ita argumentatus est.

[3]) Rhein. Museum XXIV p. 524 sq.; ibidem XXXIV p. 214 sq.

[4]) Revue de philologie II 1878, p. 97 sq.

[5]) De orationibus in Timocratem, Aristocratem, Stephanum I et II, de falsa legatione, cum in iis formulae paucae sint, ex subscriptionibus nihil certi colligi potest. Confer autem, quae Christius Abhandll. der philos.-philol. Klasse der bayerischen Akademie der Wissensch. 1882 XVI 3 pag. 194 sqq. signis quibusdam, quae in margine codicis *B* inveniuntur, adhibitis de iis iudicat.

Longe autem aliter res se habet in oratione in Neaeram habita. Subscriptio docet, orationem mille quadringentos quinquaginta unum (*XHHHH|Δ|I*) stichos habere. In editione Teubneriana oratio triginta novem fere occupat paginas et versus habet, si recte computavi, mille ducentos fere, literarum paulo plus quinquaginta millia. Ex his si numerum veterum stichorum colligimus, eundem fere esse invenimus, quem praebet subscriptio; contra si formulas, quibus non parva pars orationis efficitur, omittimus, numerus longe distat. Hac igitur re formulis orationi in Neaeram insertis iam a primo fides conciliatur.

Graux subscriptionem emendandam esse putans pro *XHHHH|Δ|I* scribit *XHH|Δ|I*; sed quia nulla alia causa commotus esse videtur, nisi eo, quod cetera litis instrumenta in illo archetypo non fuerunt, talem mutationem non probo. Subscriptionem neque emendandam neque neglegendam esse recte cognovit Christius[1]), qui id quidem mihi non persuasit, subscriptiones non ad Callimachum, sed ad Atticum quendam esse referendas. Id enim potissimum, ut alia omittam, eius sententiae obstat, quod eadem longitudine, qua stichi Demosthenis orationum sunt, etiam stichos permultorum aliorum scriptorum esse scimus.

Multa autem alia in eius commentatione maxime probabilia sunt; ita mihi quoque verisimile videtur, propterea in eum codicem, ad quem subscriptiones pertinent, formulas orationis in Neaeram receptas esse, quod ea locum tenebat inter orationes publicas. Contra orationum in Macartatum, Stephanum, Lacritum sub finem editionis positarum formulas, quarum auctoritatem satis confirmatam esse puto, is qui illam editionem paravit, omisit, praesertim cum eae non magis quam orationes ipsae legentium animos tenere viderentur. Hae igitur formulae ex alio archetypo ad nos pervenerunt, in quo etiam litis instrumenta in Neaeram orationis fuisse puto. Nam, id quod meo iudicio maximi ponderis est, huius orationis formulae in omnibus, quos habemus, codicibus exstant; ceterarum autem orationum formulae aliae in aliis et omnes duabus exceptis,

---

[1]) Ibidem pag. 195, 201 sqq.

quae magis cum orationum ipsarum verbis cohaerent[1]), in codice Σ desunt.

Caput I.

De testimoniis iisque formulis, quae artissime cum testimoniis coniunctae sunt.

Omnia testimonia orationi in Neaeram inserta a falsario supposita esse Westermannus Abhandlungen der philologisch-histor. Klasse der sächs. Gesellsch. der Wissensch. 1850 I pag. 114—129 demonstrare studet.

Priusquam ea, quae in singulis testimoniis vituperat, percenseamus, de illo argumento iudicandum nobis est, quod pag. 63 contra multorum testimoniorum auctoritatem affert. Persuasum enim habet, testimonia semper ita fuisse conscripta, ut testes pleno nomine, id est nomine patris ac demi addito, appellarentur. Omnia igitur testimonia, in quibus ea non reperit, quorum magnus est numerus, idcirco supposita esse censet. Ut autem ostendat, illam legem re vera observatam esse, nullo alio nititur argumento nisi testimonii formula, quam excerpsit ex verbis ipsis Demosthenis in Cononem orationis pag. 1266 § 30: „*ἐμβάλλεται μαρτυρίαν ψευδῆ, καὶ ἐπιγράφεται μάρτυρας ἀνθρώπους, οὓς οὐδ' ὑμᾶς ἀγνοήσειν οἴομαι, ἐὰν ἀκούσητε „Διότιμος Διοτίμου Ἰκαριεύς, Ἀρχεβιάδης Δημοτέλους Ἁλαιεύς, Χαιρήτιος Χαιριμένους Πιτθεὺς μαρτυροῦσιν ἀπιέναι ἀπὸ δείπνου μετὰ Κόνωνος καὶ προσελθεῖν ἐν ἀγορᾷ μαχομένοις Ἀρίστωνι καὶ τῷ υἱεῖ τῷ Κόνωνος καὶ μὴ πατάξαι Κόνωνα Ἀρίστωνα*“. Sed inde, quod in una formula nomina illa addita esse videmus, non licet concludere, semper ea esse addita. In inscriptionibus quoque publicis modo utrumque nomen adiectum invenimus, modo alterum, modo neutrum. Praeterea illo loco orator certo consilio tam accurate testes appellavisse mihi videtur; cum enim ostendere vellet, testimonium esse falsum testesque ipsos nulla fide dignos, multum eius intererat, ut iudices intellegerent, qui illi testes essent, ut ex ipsis verbis:

---

[1]) Cfr. Kirchneri dissert. pag. 21 et 29.

„*ἀνθρώπους, οὓς οὐδ' ὑμᾶς ἀγνοήσειν οἴομαι, ἐὰν ἀκούσητε*“ apparet.

Tum (pag. 118) Westermannus ex Demosthenis oratione adversus Boeotum I p. 997 § 9 haec profert: *Καὶ τίς ἤκουσε πώποτε ἢ κατὰ ποῖον νόμον προσπαραγράφοιτ' ἂν τοῦτο τὸ παράγραμμα ἢ ἄλλο τι πλὴν ὁ πατὴρ καὶ ὁ δῆμος*, unde apparere putat, nullum aliud nomen nisi patris ac demi nominibus testium atque ceterorum, qui in testimonio commemorantur, addi potuisse. At orator ibi minime de testimoniis loquitur; sed id tantum dicit, cives, si publice munus aliquod praestare iubeantur vel in iudicium vocentur, pleno nomine appellandos esse neque licere eos cognominibus, quae in familiari usu sint, significare.

Quod addit Westermannus (cfr. etiam pag. 117), praeter testes ipsos ceteros quoque, quorum in testimonio mentio fieret, pleno nomine vocandos fuisse, non solum nullo argumento confirmavit, sed etiam in illa formula, quam ut veri testimonii exemplum laudavit, simplex nomen et Aristonis et Cononis esse neglexit.

Id autem vir doctus pag. 64 rectissime exposuisse mihi videtur, plerumque testimonia a logographo ipso esse conscripta. Quod autem in testimoniis orationi in Neaerem insertis multa inesse censet, quae fortasse a testibus ineruditis vel falsario, non a logographo scribi potuerint, non probo; nam non solum haec oratio ipsa permulta vituperanda habet, sed etiam, ut mox demonstraturum me esse spero, eadem vitia, quibus testimoniorum elocutio laborat, in illa reperimus, et tanta est inter oratoris genus dicendi ac testimoniorum sermonem similitudo, ut maxime credibile videatur, orationem ac testimonia ab eodem esse scripta.

1. De testimonio p. 1352 § 23.

Φιλόστρατος Διονυσίου Κολωνῆθεν μαρτυρεῖ εἰδέναι Νέαιραν Νικαρέτης οὖσαν, ἥσπερ καὶ Μετάνειρα ἐγένετο, καὶ κατάγεσθαι παρ' αὐτῷ, ὅτε εἰς τὰ μυστήρια ἐπεδήμησαν ἐν Κορίνθῳ οἰκοῦσαι· καταστῆσαι δὲ αὐτὰς ὡς αὐτὸν Λυσίαν τὸν Κεφάλου, φίλον ὄντα ἑαυτῷ καὶ ἐπιτήδειον.

Pater Philostrati in testimonio Dionysius vocatur, quem aliunde non novimus. Boeckhius autem ex inscriptione quadam, de qua disputat in libro, qui inscribitur Urkunden über das attische Seewesen p. 391, effici putat, recte illud patris nomen esse additum. Habemus in illo titulo (cfr. C. J. A. II 803 f.) nomina duorum virorum, qui trierarchorum munere functi sunt: *ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ* . . *ΔΩ* . . . . . et proxime eum *ΦΙΛΟΣΤΡΑΤΟΣ* . *ΟΛ* . . . . . . In posteriore nomine supplendum esse *Κολωνῆθεν* illumque ipsum Philostratum contra Neaeram testimonium dixisse Westermannus concedit. Neque minus recte mea sententia Boeckhius etiam nomini Dionysii, quod in titulo exstat, demoticum *Κολωνῆθεν* ascripsit, cum nullo alio demotico lacuna tituli tam accurate expleatur. Maior enim est lacuna post nomen Dionysii, quam ut demoticum *Πλωθειεύς* vel *Ἀλωπεκῆθεν*, de quibus Westermannus dicit, in titulo fuisse possit. Id autem recte vir doctissimus monet, nulla re nos doceri, duos illos viros, qui in titulo vocantur, propinquitate inter se coniunctos fuisse. Qua de causa nomina tituli certo argumento ad auctoritatem testimonii tuendam esse non possunt. Nam quod Westermannus dicit, per tempus omnino non licere Dionysium illum Philostrati patrem existimare, non probo, cum in computatione eius nonnulla incertis coniecturis nitantur. Id solum constat, anno trecentesimo septuagesimo quarto, Socratide archonte, Neaeram cum Phrynione amatore convivio a Chabria magnifice comparato interfuisse (cfr. § 33). Quo fundamento iacto primum quaeramus, quantum temporis intersit inter hunc annum et eum, quo Neaera Nicareta ac Metanira comitibus Athenas venit (cfr. § 22). Spengelius eumque qui sequitur Vater (cfr. Jahns Archiv IX pag. 194 sqq.) spatium viginti fere annorum interiectum esse putant, et Vater quidem primum quattuor annos Neaeram apud Phrynionem fuisse censet. Sed ex tota oratoris explicatione apparet, eam, cum aspere tractaretur, non ita multo post quam Athenas cum Phrynione venit, eius domo fugisse. Antea Corinthi Neaera Timanorides et Eucrates usi erant, qui eam de Nicareta emerant; eorum quoque per quattuor annos illam servam fuisse Vater conicit, nescio qua de causa. Quamquam denique ex §§ 24, 25, 26, 30, 108 efficitur, Neaeram

eo tempore, quo penes Nicaretam lenam erat, cum multis rem habuisse, tamen non parcus esse mihi videor toti illi intervallo undecim fere annos tribuens.

Mea igitur sententia anno trecentesimo octogesimo quinto fere a. Chr. n. Philostratus Lysiae ac Metanirae hospitium praebuit. Qui Lysias quin clarissimus ille orator sit, dubitari non posse, Westermanno assentior; recte igitur is in testimonio filius Cephali vocatur. Quem si secuti sententiam maxime probabilem Blassii[1]) atque aliorum hominum doctorum recentioris aetatis, natum esse anno fere quadringentesimo quadragesimo a. Chr. n. statuimus, quinquagesimum fere quintum annum tum egisse colligitur; etiam tunc sine dubio mater eius, quae § 22 commemoratur, in vivis esse poterat. Quot annos eo tempore Philostratus habuerit, ex oratione concludi non potest; sed Vateri sententiam, Philostratum, cum amicus Lysiae vocaretur, pari aetate fuisse, non probo. Immo ut natu minorem eum fuisse credamus, eo adducimur, quod audimus, eum tum caelibem fuisse, neque quidquam obstare arbitror, quominus eum viginti quinque fere annos natum fuisse coniciamus. Ille ipse igitur, cum trierarchiam praestabat, sexaginta quinque annos et pater eius fortasse nonaginta annos compleverat; titulus enim ille spectat ad primum annum olympiadis centesimae nonae. Non igitur tam pro certo quam Westermannus vult affirmandum est, non potuisse fieri, ut illo tempore pater Philostrati superesset.

Argumentum testimonii inspicientes Philostratum unam rem, quam testimonio eius confirmaturum se esse paulo ante (§ 23) Apollodorus promiserat, non testari invenimus, dico illud „ὡς ἐμισθάρνει τῷ βουλομένῳ ἀναλίσκειν.“ Quam ob rem Westermannus suo iure dubitare sibi videtur, num testimonium genuinum sit. Sed illud ipsum, quo nisus ita iudicat, quod in prooemio commentationis pag. 65 ponit: „Was hingegen den Inhalt dieser Zeugnisse anlangt, so begnügen wir uns mit der bescheidenen Anforderung, dass derselbe in allen Stücken . . . dem entspreche, was der Redner damit beweisen will: zeigt sich

---

[1]) Cfr. Attische Beredsamkeit I p. 334.

aber, dass diese Übereinstimmung nur im ungenügenden Masse vorhanden ist, so glauben wir auch ein Recht zu haben, die Echtheit dieser Urkunden in Zweifel zu ziehen" non plane probandum esse censeo. Non enim semper argumenta, quibus Apollodorus utitur, firma sunt, quare non mirabimur, quod testimoniis nonnullis non demonstratur, quod iis demonstrari vult. Nec raro, id quod in Philostrati testimonium cadere puto, mea sententia factum est, ut oratores ad iudices decipiendos nonnulla testimoniis confirmari dicerent, quae non omnia aut non ita in iis inscripta erant. Quo dolo effici poterat, ut iudices, nisi attente ad singulas testimonii partes animos verterent, ea, quae ab oratore, et ea, quae a testibus audiverant, non satis discernerent atque ita vera cum falsis confunderent. Neque Apollodorum ab eiusmodi machinis abhorruisse constat. Meo igitur iudicio fallaciter illo loco, ubi primum ad vitam Neaerae narrandam accedit, ut iudices ab initio iniqua tantum de ea audiant, ex testimonio apparere dicit, eam iam Athenis cuilibet corpus vulgasse. Quod si Philostratus re vera testatus esset, valde mirum videretur, oratorem id tam paucis atque obiter tantum commemoravisse: immo ut mihi quidem videtur, longe aliis verbis usus esset atque iis, quae antecedunt: „*Νέαιρα ἐργαζομένη μὲν ἤδη τῷ σώματι, νεωτέρα δὲ οὖσα διὰ τὸ μήπω τὴν ἡλικίαν αὐτῇ παρεῖναι.*"

2. De testimonio p. 1353 § 25.

Εὐφίλητος Σίμωνος Αἰξωνεύς, Ἀριστόμαχος Κριτοδήμου Ἀλωπεκῆθεν μαρτυροῦσιν εἰδέναι Σῖμον τὸν Θετταλὸν ἀφικόμενον Ἀθήναζε εἰς τὰ Παναθήναια τὰ μεγάλα, καὶ μετ' αὐτοῦ Νικαρέτην καὶ Νέαιραν τὴν νυνὶ ἀγωνιζομένην καὶ κατάγεσθαι αὐτοὺς παρὰ Κτησίππῳ τῷ Γλαυκωνίδου, καὶ συμπίνειν μετ' αὐτῶν Νέαιραν ὡς ἑταίραν οὖσαν καὶ ἄλλων πολλῶν παρόντων καὶ συμπινόντων παρὰ Κτησίππῳ.

Primum ex Neaerae amatoribus orator Simum Thessalum nominat; quae de eo ex testimonio audimus, pariter § 24 narrantur.

3. De testimonio p. 1354 § 28.

Ἵππαρχος Ἀθμονεὺς μαρτυρεῖ Ξενοκλείδην καὶ αὐτὸν μισθώσασ-

θαι Νέαιραν ἐν Κορίνθῳ τὴν νῦν ἀγωνιζομένην, ὡς ἑταίραν οὖσαν τῶν μισθαρνουσῶν, καὶ συμπίνειν ἐν Κορίνθῳ Νέαιραν μεθ' αὐτοῦ καὶ Ξενοκλείδου τοῦ ποιητοῦ.

Quae in testimonio sunt et quae § 26 legimus, plane inter se consentiunt neque perspicio, quid Westermannus inter utrumque interesse putet, cum dicat: „Der Inhalt der Aussage mag ungefähr gelautet haben: s. § 26".

Id quidem miri aliquid habet, quod Xenoclides non initio testimonii, ubi prima eius mentio fit (*μαρτυρεῖ Ξενοκλείδην καὶ αὐτὸν*), sed postea demum cognomine illo „*ὁ ποιητής*" vocatur. At respiciens, quam multis aliis locis logographus negligentem atque indiligentem se praebeat — cfr. exempla summae negligentiae, quae Lortzingius „De orationibus, quas Demosthenes pro Apollodoro scripsisse fertur" pag. 39 et 62 composuit — huic rei ullam vim tribuere non possum.

4. De testimonio p. 1355 § 32.

Φίλαγρος Μελιτεὺς μαρτυρεῖ παρεῖναι ἐν Κορίνθῳ ὅτε Φρυνίων ὁ Δημοχάρους ἀδελφὸς κατετίθει εἴκοσι μνᾶς Νεαίρας τῆς νῦν ἀγωνιζομένης Τιμανορίδᾳ τῷ Κορινθίῳ καὶ Εὐκράτει τῷ Λευκαδίῳ καὶ καταθεὶς τὸ ἀργύριον ᾤχετο ἀπάγων Ἀθήναζε Νέαιραν.

In hoc testimonio Westermanuus duo desiderat, quae orator antea dixit, et illud (*κατατίθησιν αὐτῆς*) *ἐπ' ἐλευθερίᾳ* et quae sequuntur *ἐφ' ᾧ ἐν Κορίνθῳ μὴ ἐργάζεσθαι*. Primum quamvis non addito illo *ἐπ' ἐλευθερίᾳ* quid verba testimonii *κατετίθει εἴκοσι μνᾶς Νεαίρας Τιμανορίδᾳ καὶ Εὐκράτει* sibi velint, non dubium esse puto, neque iudices, cum testimonium recitaretur, ex iis quidquam aliud colligere poterant, nisi quod orator antea exposuerat.

Ne in eo quidem, quod alterum illud *ἐφ' ᾧ ἐν Κορίνθῳ μὴ ἐργάζεσθαι* in testimonio non invenitur, offendendum est. Nam hanc condicionem orator, cum res narraret, obiter tantum commemoravit; quod autem eam, quippe quae ad rem demonstrandam non pertineret, etiam testimonio confirmaret, nihil erat causae. Nullius enim momenti est, quod illa: *ἐφ' ᾧ ἐν Κορίνθῳ μὴ ἐργάζεσθαι* proxima insequuntur verba *καὶ ὅτι ταῦτ' ἀληθῆ λέγω τούτων ὑμῖν τὸν παραγενόμενον μάρτυρα καλῶ*;

nam haec verba, quae ipsa vel quibus simillima ante omnia testimonia posita reperimus, usitatae tantum formulae vim habent.

Verba extrema *καὶ καταθεὶς τὸ ἀργύριον ᾤχετο ἀπάγων Ἀθήναζε Νέαιραν*, quae Westermannus ut supervacanea improbat, in testimonio inscripta fuisse ex sequentibus: „*Ἀφικόμενος τοίνυν δεῦρο ἔχων*" etc. concludi potest, quae quo ordine collocata essent, vir doctus neglexit; ex eo enim mea sententia apparet, iam antea dictum fuisse, Phrynionem cum Neaera Corintho excessisse. Quoniam autem orator id ne verbo quidem § 32 commemoravit, § 33 non ita pergere poterat, nisi iudices id ex testimonio recitato audivissent.

Quod in testimonio nomini Phrynionis nomen fratris additum esset, non iure reprehendi, iam pag. 6 exposui. Westermannus autem dubitari posse annotat, num re vera Phrynio frater Democharis fuerit. Apud Athenaeum enim lib. XIII pag. 593 f. inter Neaerae amatores vocatur *Φρυνίων Παιανιεύς, ὃς ἦν Δήμωνος μὲν υἱός, Δημοχάρους δὲ ἀδελφιδοῦς*. Etiamsi recte Athenaeus eum ita appellavisset, tamen id contra testimonii fidem non repugnaret; eodem enim iure contendi potest, id, quod § 30 falso scriptum erat, in testimonium quoque a scriba receptum esse, quo Westermannus vult, id ex testimonio negligenter composito in orationis textum irrepsisse. Sed Athenaei illi loco non tanta auctoritas tribuenda est. Inspicientes enim singula, quae ibi narrat, in multis offendimus. Jam Taylorus ad orationem pag. 1351 v. 4 annotavit: „Paulo aliter Athenaeus, partim, ut videtur, suo, partim exemplarium vitio." Ipsius Athenaei errori sine dubio duo attribuenda sunt, primum quod legimus: *Νικαρέτη δὲ ἡ ἑταίρα ἐρωμένη ἦν Στεφάνου τοῦ ῥήτορος*. Nihil eiusmodi in oratione invenimus neque cum Tayloro *Νέαιρα* pro *Νικαρέτη* scribendum esse Schweighaeusero (cfr. Animadv. in libr. XIII pag. 207) assentior; nam paulo post Nicareten a Neaera distingui videmus: „*ἦσαν δὲ αὗται* (sc. *Νικαρέτη καὶ Μετάνειρα*) *δοῦλαι Κασίου μετὰ .... Νεαίρας*". Neque magis recte ipse Schweighaeuser verba Athenaei defendit. Fortasse quidem Nicarete iuvenis quaestum meretricium fecit; sed quod vir doctus dicit: „Quidni primum ipsam Ni-

careten, tum deinde Neaeram amare idem Stephanus potuerit?“ propter ea, quae ex oratione ipsa colligimus, non credibile est. Primum enim sine dubio Nicarete multo plures annos nata erat quam Stephanus; tum is in amicitiam Neaerae non venerat, cum ea domi Nicaretae erat, sed multo post, cum Neaera diu a lena liberata Megaris versabatur (cfr. § 37). Athenaeus autem haud dubie omnia, quae illo loco narrat, ex nullo alio fonte nisi ex oratione in Neaeram hausit; quare vel ordinem eundem retinet, quo orator § 19 meretrices, quae Neaerae sociae erant, enumeravit.

Alterum Athenaeus peccavit, quod Neaeram, Metaniram, ceteras meretrices Casii (vel potius Charisii) servas fuisse refert. Nicarete quidem serva eius fuit (cfr. § 18); neque tamen antequam libertatem adepta est, illas puellas sibi comparavit ac lenocinio victum quaesivit. Hoc Athenaeus cum parum intellegeret, rem ita turbavit, ut Nicareten Metanirae et ceteris parem poneret. Futtilis igitur Schweighaeuseri coniectura videtur: „Nec vero a Demosthene dissidere censendus est Athenaeus, quod hic meretriculas istas fuisse Casii Elei ait; ille vero Nicaretae fuisse affirmat; nam a Charisio Eleo accepisse illas Nicaretam facile intellegitur, quae fortasse etiam lenocinium ita exercebat, ut pars quaestus ex pacto ad illum rediret.“

Praeterea Athenaei codices nonnulla nomina alia praebent atque in oratione inveniuntur: *Κάσιος* pro *Χαρίσιος*, *Στροβύλη* pro *Στρυβήλη*, *Στρατοκλείδης* pro *Σῖμος ὁ Θετταλός*.[1])

Verisimile est, ut Westermannus postremo annotat, Democharem, cuius frater Phrynio vocatur, eundem esse, cuius in Demosthenis oratione in Euergum p. 1145 § 22; 1147, 28; 1148, 32 mentio fit. Quod vir doctus de propinquitate, quae inter eum et Demosthenem oratorem intercederet, contra Boehneckium coniecit, probabile videtur eumque Schaefer quoque (Demosthenes u. s. Zeit III 2 pag. 56) secutus est.

---

[1]) Nomen illud *Στρατοκλείδης* ex voce *Σρατόλας*, quae praecedit, atque ex sequente *Ξενοκλείδης* ortum et per errorem in codices illatum esse Meinekius Athen. IV p. 278 sagaciter coniecit.

5. De testimonio p. 1356 § 34.

Χιωνίδης Ξυπεταιών, Εὐθετίων Κυδαθηναιεὺς μαρτυροῦσι κληθῆναι ὑπὸ Χαβρίου ἐπὶ δεῖπνον, ὅτε τὰ ἐπινίκια εἱστία Χαβρίας τῆς νίκης τοῦ ἅρματος, καὶ εἱστιᾶσθαι ἐπὶ Κωλιάδι καὶ εἰδέναι Φρυνίωνα παρόντα ἐν δείπνῳ τούτῳ ἔχοντα Νέαιραν τὴν νυνὶ ἀγωνιζομένην, καὶ καθεύδειν σφᾶς αὐτοὺς καὶ Φρυνίωνα καὶ Νέαιραν καὶ αἰσθάνεσθαι αὐτοὶ ἀνισταμένους τῆς νυκτὸς πρὸς Νέαιραν ἄλλους τε καὶ τῶν διακόνων τινάς, οἳ ἦσαν Χαβρίου οἰκέται.

De argumento testimonii Westermannus haec profert: „Wir fühlen uns nicht versucht, diesen Schmutz noch breiter zu treten, und überlassen es dem Leser selbst, sich zu überzeugen, wie wenig das Einzelne dieser Aussage dem entspricht, was der Redner selbst § 33 als deren Inhalt angiebt.“

Mallem Westermannus certis verbis expressisset, quae in oratoris narratione cum testimonio pugnare existimaret; me nihil eiusmodi invenisse fateor.

Tum Westermannus illa *καὶ καθεύδειν σφᾶς αὐτούς* — *καὶ αἰσθάνεσθαι* reprehendit, quae ita interpretari videtur, ut Chioniden et Euthetionem testari censeat, illas res dormientes se animadvertisse. Sed falsarium non facile quisquam tanta stultitia fuisse putaverit, ut haec absurdissima in testimonio inscriberet. Schaefer ad p. 1356 v. 21 annotat, vocem *καθεύδειν* hoc loco primario significatu valere „decumbere quietis causa, quam et vigilans capere potest.“ Quae interpretatio nimis arcessita esse mihi videtur. Facilius verba illa sic intelligi posse puto: se dormivisse, somno autem excitatos foedissimum illud spectavisse. Id igitur, eos somno fuisse solutos, orator qua est negligentia ut supervacaneum omisit.

Si Westermannus ad sermonem orationis in Neaeram animum intendisset, certe non sic iudicavisset: „Auch *τὰ ἐπινίκια τῆς νίκης τοῦ ἅρματος* ist einzig in seiner Art.“ Tales enim ambages atque verborum abundantiae omnium maxime huius oratoris propriae sunt iisque ipsis sermo eius valde distat a pressa Demosthenis dicendi ratione et comprobatur, orationem

non a Demosthene esse scriptam.[1]) Ex permultis illis locis, ubi similia vel molestiora quam ea habemus, quae Westermannus vituperavit, unum apponere mihi liceat: §. 120 *πρὸς δὴ τὴν παρασκευὴν τῆς ἀπολογίας καὶ τῶν μαρτυρεῖν αὐτῷ παρεσκευασμένων.*

6. De testimonio p. 1358 § 40.

Αἰήτης Κειριάδης μαρτυρεῖ πολεμαρχοῦντος αὐτοῦ κατεγγυηθῆναι Νέαιραν τὴν νυνὶ ἀγωνιζομένην ὑπὸ Φρυνίωνος τοῦ Δημοχάρους ἀδελφοῦ καὶ ἐγγυητὰς γενέσθαι Νεαίρας Στέφανον Ἐροιάδην, Γλαυκέτην Κηφισιέα, Ἀριστοκράτην Φαληρέα.

Ex testimonio cognoscimus, tres cives, Stephanum, Glauceten, Aristocratem pro Neaera fidem interposuisse. Cui rei ea repugnare quae sequuntur (§ 41) „*διεγγυηθεῖσα δ' ὑπὸ Στεφάνου*“ Westermannus non recte docet. Haec enim non significant, Stephanum praedem fuisse, sed eo auctore (cfr. § 40 *ἀφαιρουμένου δὲ τοῦ Στεφάνου κατὰ τὸν νόμον εἰς ἐλευθερίαν*) praedibus datis Neaeram in libertatem esse restitutam, et recte Henr. Stephanum in Thesauro sub voce *διεγγυᾶν* locum illum sic interpretatum esse puto: „Cum hic in libertatem vindicans sponsores dedisset, apud se habuit prostantem ut ante“.[2]) Unus quidem ex sponsoribus Stephanus ipse fuit; quod autem tres sponsores in testimonio nominantur, accurate cum iis consentit, quae reperiuntur in Platonis Legibus XI 914 E: *ἐὰν δέ τις ἀφαιρῆταί τινα εἰς ἐλευθερίαν ὡς δοῦλον ἀγόμενον, μεθιέτω μὲν ὁ ἄγων, ὁ δὲ ἀφαιρούμενος ἐγγυητὰς τρεῖς ἀξιόχρεως καταστήσας οὕτως ἀφαιρείσθω κατὰ ταῦτα, ἄλλως δὲ μή.* Maxime igitur verisimile est, re vera Athenis hanc legem fuisse.

Falsarius quidem verbis illis *διεγγυηθεῖσα δ' ὑπὸ Στεφάνου* facile commoveri poterat, ut Stephanum solum ut vadem in testimonio inscriberet, neque erat, cur nomina Glaucetae atque Aristocratis fingeret.

Accedit alterum, quo omnem dubitationem de testimonii

---

[1]) Cfr. Lortzing: „De orationibus, quas Demosthenes pro Apollodoro scripsisse fertur“ pag. 30 sqq.; Sigg, Fleckeisens Jahrbb. VI suppl. p. 426.

[2]) Confer cetera quoque, quae Stephanus de notione verbi *διεγγυᾶν* exponit.

auctoritate tolli puto. Demoticum enim illud Stephani, quod in testimonio solo est, verum esse populiscito quodam, quod exstat C. J. A. II tit. 109, comprobatur. Is enim, qui id rogavit, appellatur: *Στέφανος Ἀντιδωρίδου Ἐ* . . . . Qui sine dubio maritus Neaerae est; nam quod primum ad tempus attinet, titulus ille, ut ex praescriptionibus apparet („*ἐπὶ Θεμιστοκλέους ἄρχοντος*"), ad annum 347/6 revocandus est; paucis annis post orationem in Neaeram habitam esse constat. Tum, id quod maximi momenti est, in oratione ipsa § 121 unus e filiis Stephani *Ἀντιδωρίδης* vocatur; is igitur noto illo more nomen ab avo suo, patre Stephani, traxit. Cum autem nomine illo *Ἐροιάδης* accuratissime lacuna tituli expleatur, mea sententia non iam dubitari potest, quin in testimonio recte ita scriptum sit.[1])

Et in hoc testimonio et in testimoniis § 25, 28, 32, 34, 47 nomini Neaerae verba *ἡ νυνὶ ἀγωνιζομένη* addita invenimus. Unde Westermannum pag. 65 recte coegisse existimo, haec ab eodem esse scripta. Quoniam autem huius testimonii auctoritatem certissimo argumento firmari vidimus, ceteris, quae dixi testimoniis, iam illis verbis non parva fides conciliatur.

7. De testimonio p. 1361 § 47.

Σάτυρος Ἀλωπεκῆθεν, Σαυρίας Λαμπτρεύς, Διογείτων Ἀχαρνεὺς μαρτυροῦσι διαλλάξαι διαιτηταὶ γενόμενοι περὶ Νεαίρας τῆς νυνὶ ἀγωνιζομένης Στέφανον καὶ Φρυνίωνα. τάς δὲ διαλλαγὰς εἶναι, καθ' ἃς διήλλαξαν, οἵας παρέχεται Ἀπολλόδωρος.

Διαλλαγαί.

Κατὰ τάδε διήλλαξαν Φρυνίωνα καὶ Στέφανον, χρῆσθαι ἑκάτερον Νεαίρᾳ τὰς ἴσας ἡμέρας τοῦ μηνὸς παῤ ἑαυτοῖς ἔχοντας, ἂν μή τι ἄλλο αὐτοὶ αὑτοῖς συγχωρήσωσιν.

Phrynio Stephanum in iudicium vocaverat, primum quod iniuria Neaeram in libertatem vindicavisset, tum quod nonnulla retineret, quae illa Athenis fugiens e domo sua abstulisset. Amicis autem quibusdam auctoribus causa ad tres diaetetas privatos delata est.

---

[1]) Cfr. Dittenberger Sylloge inscriptionum atticarum pag. 168 ann.

Testimonio igitur, de quo nobis est disputandum, Satyrus, Saurias, Diogiton affirmant, diaetetas creatos se Phrynionem et Stephanum reconciliavisse eaque, quae *διαλλαγαί* illae ab Apollodoro allatae continerent, vera esse. Haec sine dubio testes ipsi dicere poterant neque necesse erat, *διαλλαγάς* a testimonio separari. Cave autem in eo offendas, quod et hoc loco et in testimoniis §§ 71 ac 123 rem aliter institutam esse videmus. Fortasse enim orator rebus narratis maiorem fidem facturum se esse putabat, si formulas ipsas afferret, quam si quae in iis erant, in testimoniis inscriberet.

Διαλλαγάς autem illas Westermannus nimis tenues ac rerum inopes esse existimat.

Quod primum dicit illa § 46: *γνώμην ἀπεφήναντο, καὶ οὗτοι ἐνέμειναν αὐτῇ, τὴν μὲν ἄνθρωπον ἐλευθέραν εἶναι καὶ αὐτὴν αὑτῆς κυρίαν, ἃ δ' ἐξῆλθεν ἔχουσα Νέαιρα παρὰ Φρυνίωνος χωρὶς ἱματίων καὶ χρυσίων καὶ θεραπαινῶν, ἃ αὐτῇ τῇ ἀνθρώπῳ ἠγοράσθη, ἀποδοῦναι Φρυνίωνι πάντα. συνεῖναι δ' ἑκατέρῳ ἡμέραν παρ' ἡμέραν ἐάν. δὲ καὶ ἄλλως πως ἀλλήλους πείθωσι, ταῦτα κύρια εἶναι. τὰ δ' ἐπιτήδεια τῇ ἀνθρώπῳ τὸν ἔχοντα ἀεὶ παρέχειν, καὶ ἐκ τοῦ λοιποῦ χρόνου φίλους εἶναι ἀλλήλοις καὶ μὴ μνησικακεῖν* falsario satis materiae praebere potuisse, plane assentior; sed id ipsum eius sententiam formulam genuinam esse negantis minime adiuvat. Falsarius enim, ut mea opinio est, quam maxime verba oratoris ipsius secutus esset neque facile quidquam ex illis omisisset.

Ego autem nescio an ea, quae maxime Westermannus in *διαλλαγαῖς* desiderare videtur, omnino iis addi non potuerint, dico illa *τὴν μὲν ἄνθρωπον ἐλευθέραν εἶναι καὶ αὐτὴν αὑτῆς κυρίαν, ἃ δ' ἐξῆλθεν ἔχουσα Νέαιρα παρὰ Φρυνίωνος χωρὶς ἱματίων καὶ χρυσίων καὶ θεραπαινῶν, ἃ αὐτῇ τῇ ἀνθρώπῳ ἠγοράσθη, ἀποδοῦναι Φρυνίωνι πάντα.* Nam propter naturam diaetetarum privatorum et nomen ipsum *διαλλαγῶν* verisimile esse mihi videtur, eas, siquidem conscriberentur, ita conscriptas esse, ut non iudicium continerent, quod diaetetae de tota causa fecerant, sed condiciones tantum pactionis, quibus reconciliatio facta erat; haec duo inter se diversa et distinguenda esse puto. Diaetetae sine dubio primum quaerebant, quid de

rebus, quae in controversia versabantur, iudicandum esset. Cum igitur Phrynio duo Stephano crimini dedisset, de utroque quaestionem instituerunt et quod ad prius illud attinet, Neaeram esse liberam cognoverunt atque iudicaverunt; hoc igitur non pars, sed tamquam fundamentum pactionis est. Tum Neaeram, cum ex domo Phrynionis fugeret, nonnulla, quae illius erant, secum abstulisse convicerunt eamque ipsam haec reddere iusserunt. Si autem, ut supra dixi, *διαλλαγῶν* formula constitui solebat, quid litigantibus reconciliationis causa faciendum esset, hoc, cum ad Stephanum ipsum non pertineret, non magis quam prius illud ei adici poterat.

Lite ita diiudicata diaetetae id spectaverunt, quod summum eorum munus erat, ut Stephanum ac Phrynionem inter se reconciliarent ; id ipsum autem, quod iis auctoribus pacto convenit, in formula illa legimus.

Eadem ratione etiam altera formula *διαλλαγῶν*, quae in oratione § 71 exstat, instituta est; in ea enim non invenimus, quid de lite ipsa inter Epaenetum ac Stephanum orta diaetetae iudicaverint. Cum autem Epaenetus defendisset, moechum nominari se non posse, quod Phano Neaerae, non Stephani esset filia eaeque meretricium quaestum facerent, haud dubie necesse erat, diaetetas primum de hac re sententiam dicere.

Sed priorem illam formulam *διαλλαγῶν* non a diaetetis, sed ab oratore compositam esse contenderim. Quod ut censeam commoveor voce illa *οἵας*, quae in testimonio est (*τὰς δὲ διαλλαγὰς εἶναι, καθ᾽ ἃς διήλλαξαν, οἵας παρέχεται Ἀπολλόδωρος*). Id tantum meo iudicio dubitari potest, utrum orator ea, quae formula continet, ex pactione a diaetetis conscripta excerpserit ac fortasse nonnulla omiserit, quae levioris momenti erant, ut illa *τὰ δ᾽ ἐπιτήδεια τῇ ἀνθρώπῳ τὸν ἔχοντα ἀεὶ παρέχειν, καὶ ἐκ τοῦ λοιποῦ χρόνου φίλους εἶναι ἀλλήλοις καὶ μὴ μνησικακεῖν*, an in illa causa diaetetae pactionem literis non mandaverint; non enim constat, id semper factum esse. Mihi pactionem, quam Stephanus et Phrynio inierant, a diaetetis non consignatam fuisse, propter eius naturam magis probabile videtur. Neque enim in ea aut Stephanus aut Phrynio certi quidquam facere iubetur ut in altera pactione § 71 Epaenetus mille drachmas Phano

dare; quod autem inter se paciscuntur, ut alternis diebus Neaeram secum haberent, sine dubio tam diu tantum fieri poterat, quam Neaera, quae libera ac sui iuris erat (cfr. § 46 *τὴν μὲν ἄνθρωπον ἐλευθέραν εἶναι καὶ αὐτὴν αὑτῆς κυρίαν*), id non recusaret. Neque verba illa § 46 *ἐὰν δὲ καὶ ἄλλως πως ἀλλήλους πείθωσι, ταῦτα κύρια εἶναι* et quae in pactione inveniuntur: *ἂν μή τι ἄλλο αὐτοὶ αὑτοῖς συγχωρήσωσιν* negligenda sunt, ex quibus apparet, diaetetas suasisse tantum Stephano ac Phrynioni, ut ita rem instituerent.

Sive igitur *διαλλαγάς* a diaetetis reconciliatione facta sive in anacrisi ab oratore conscriptas esse iudicamus, illa *τὴν μὲν ἄνθρωπον ἐλευθέραν εἶναι καὶ αὐτὴν αὑτῆς κυρίαν, ἃ δ' ἐξῆλθεν ἔχουσα Νέαιρα παρὰ Φρυνίωνος . . . . ἀποδοῦναι Φρυνίωνι πάντα* in iis non desideranda sunt; certe enim orator ipse eas non aliter composuit atque tales formulae componi solebant. In testimonio quidem illa scribere poterat; at non erat, quare ita faceret; neque enim ex iis quidquam contra Neaeram colligi poterat, cum multum interesset, ut iudices audirent, quam turpi modo Neaera corpus vulgavisset.

Veniamus ad alterum, quod Westermannus vituperat: „Hätte sich unser Verfasser, inquit, streng an diese Worte (§ 46) gehalten, so würde ihm auch nicht die Albernheit entfahren sein, die in dem *τὰς ἴσας ἡμέρας τοῦ μηνός* liegt: die vollen Monate zu 30 Tagen gestatteten eine gleiche Theilung, wie aber sollte es bei den hohlen Monaten gehalten werden?"

Iure hoc vir doctus vituperavisset, si pariter atque orator § 46 dicit *διαλλαγῶν* formula statueretur, ut Neaera alternis diebus (*ἡμέραν παρ' ἡμέραν*) apud Phrynionem et Stephanum esset. Ita enim re instituta, si mensis cavus erat, non utrumque Neaeram parem dierum numerum apud se habere potuisse patet. Id ipsum autem in formula non dicitur; sed orator, cum eam componeret, magis generatim ac summatim expressit, quod diaetetae litigantibus suaserant. Verba enim illa: *κατὰ τάδε διήλλαξαν Φρυνίωνα καὶ Στέφανον, χρῆσθαι ἑκάτερον Νεαίρᾳ τὰς ἴσας ἡμέρας τοῦ μηνός* id tantum significant: Ea condicione reconciliatio facta est, ut uterque aeque magnam partem mensis Neaera uteretur. Apparet autem, etiam cavi mensis

dies ita dividi potuisse, ut neque Stephanus neque Phrynio feminam plus temporis apud se haberet.

In eo autem, quod aliquid inter verba orationis ac formulae interesse vidimus, iure offendi non potest; nam utrumque vere ad idem tendit neque pratermittendum nobis est, quod supra exposui, a diaetetis nihil certi constitutum fuisse.

8. De testimonio p. 1361 § 48.

Εὔβουλος Προβαλίσιος, Διοπείθης Μελιτεύς, Κτήσων ἐκ Κεραμέων μαρτυροῦσιν, ἐπειδὴ αἱ διαλλαγαὶ ἐγένοντο αἱ περὶ Νεαίρας Φρυνίωνι καὶ Στεφάνῳ, πολλάκις συνδειπνῆσαι αὐτοῖς καὶ συμπίνειν μετὰ Νεαίρας τῆς νυνὶ ἀγωνιζομένης, καὶ ὁπότε παρὰ Στεφάνῳ εἴη Νέαιρα καὶ ὁπότε παρὰ Φρυνίωνι.

De argumento testimonii Westermannus nihil reprehendit; de nominibus testium haec annotat: „Die gegebenen Namen sind wie überall in diesen Urkunden, wo der Redner diese selbst nicht hinzufügt, ohne die väterlichen Namen aufgeführt.“ At Westermannus ipse, cum de primo testimonio orationis ageret, multis verbis de nomine Dionysii, patris Philostrati, disputavit; ibidem pater Lysiae Cephalus vocatur; denique in extremo orationis testimonio sex testes appellantur additis patrum nominibus, quae in oratione ipsa non reperiuntur.

9. De testimonio p. 1363 § 54.

Φράστωρ Αἰγιλιεὺς μαρτυρεῖ, ἐπειδὴ ᾔσθετο Νεαίρας θυγατέρα ἐγγυήσαντα αὐτῷ Στέφανον ὡς ἑαυτοῦ οὖσαν θυγατέρα, γράψασθαι αὐτὸν γραφὴν πρὸς τοὺς θεσμοθέτας κατὰ τὸν νόμον, καὶ τὴν ἄνθρωπον ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς ἑαυτοῦ οἰκίας καὶ οὐκέτι συνοικεῖν αὐτῇ, καὶ λαχόντος αὐτῷ Στεφάνου εἰς Ὠιδεῖον σίτου διαλύσασθαι πρὸς αὐτὸν Στέφανον, ὥστε τὴν γραφὴν ἀναιρεθῆναι παρὰ τῶν θεσμοθετῶν καὶ τὴν δίκην τοῦ σίτου, ἣν ἔλαχεν ἐμοὶ Στέφανος.

Phrastori cuidam Stephanus Phano ut suam filiam in matrimonium dederat; anno autem exacto Phrastor eam domo eiecit neque dotem acceptam reddidit. Quam ob rem cum Stephanus *δίκην σίτου*, quae vocatur, instituisset, a Phrastore vicissim accusatus est, quod sibi peregrinae filiam ut suam ipsius spopondisset; Phano enim esse Neaerae filiam. Tum Stephanus et Phrastorem commovit, ut litem tolleret, et ipse idem fecit.

Dote igitur, ne causa Neaerae ad iudices deferretur, cessit.[1]) Quod re vera factum esse testimonio illo affirmari vult Apollodorus. Perscrutemur igitur causas, quibus commotus Westermannus id quoque suppositum esse censet. „Auch diese Urkunde, inquit, ist schlecht gerathen, da ihr Verfasser sich zwar im Ganzen an das Gegebene angeschlossen, aber aus einer seltsamen Grille die einzelnen Punkte nicht in ihrer richtigen Aufeinanderfolge gelassen und dadurch den wahren Zusammenhang der Sache zerstört und zerrüttet hat. Das erste, was Phrastor that, als er den Betrug des Stephanus merkte, war, wie aus der sehr deutlichen Erzählung § 51 ff. erhellt, dass er die ihm angetraute Tochter der Phano verstiess und zwar ohne ihr Eingebrachtes herauszugeben, ein Punkt, der jedenfalls auch im Zeugnisse zur Motivirung der *δίκη σίτου* des Stephanus mit anzugeben und an die Stelle des ganz überflüssigen *καὶ οὐκέτι συνοικεῖν αὐτῇ* zu setzen war: hierauf klagte Stephanus wegen Rückzahlung oder Verzinsung der eingebrachten dreissig Minen, und diese Klage erst erwiederte Phrastor durch eine *γραφή* bei den Thesmotheten. Hierdurch aufs äusserste gefährdet, verzichtete endlich Stephanus auf die Mitgift und liess seine Klage fallen, worauf auch Phrastor die seinige zurückzog."

Id quidem concedo, res eo ordine factas esse, quo orator ipse eas narravit. Is autem omnia tam accurate ac dilucide exposuit, ut falsarius non posset errore captus ordinem commutare. Neque magis comprobo, quod Westermannus dicit, eum hoc sine certa ratione („aus einer seltsamen Grille") fecisse. Meo enim iudicio falsarius, si omnino testimoniis fidem tribui voluisset, ea non tanta negligentia conscripsisset, ut temere ab illis ipsis digrederetur, quae in oratione inveniuntur.

Sed demonstraturum me esse spero, oratorem ipsum consilio testimonium ita conscripsisse. Phrastor, ut ex verbis § 53

[1]) Rem ita se habere Van den Es non intellexit; in libro enim, qui inscribitur „De iure familiarum" pag. 61 sic disputat: „Phrastor negare potuit dotem reddere aut quia ita licebat ex lege, aut quia putabat, Stephanum sibi litem intendere non ausurum. Cum ea, quae in oratione continuo sequuntur, diligenter reputamus, posterius verisimillimum fit. Nam accusatus a Stephano dotem reddidit."

καὶ ἀναγκάσω μαρτυρεῖν κατὰ τὸν νόμον apparet, invitus testatus est. Neque id mirum videtur; nam ea, quae contra Stephanum fecerat, non solum vituperatione digna sunt, sed etiam, cum dotem reddere recusaret, legem violavit, de qua orator § 52 dicit (*τὸν νόμον, ὃς κελεύει, ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα ἐὰν δὲ μή, ἐπ᾿ ἐννέ᾿ ὀβολοῖς τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς ᾿Ωιδεῖον εἶναι δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τῷ κυρίῳ*). Haec fortasse aliquam excusationem haberent, si re vera Phano peregrina fuisset. Id ipsum autem maxime dubium est; neque enim orator ullo loco demonstravit, Phano Neaerae esse filiam, non prioris Stephani uxoris (cfr. § 119). Neque, ut Lortzingius pag. 46 recte disputat, Phrastor ipse quidquam certi de Phanus origine compertum habuisse videtur. Praeterea orator § 50 sq. alias quoque causas divortii commemorat: *οὐκ ἠπίστατο τοῖς τοῦ Φράστορος τρόποις ἀρέσκειν, ἀλλ᾿ ἐζήτει τὰ τῆς μητρὸς ἔθη καὶ τὴν παρ᾿ αὐτῇ ἀκολασίαν . . . . ὁρῶν δ᾿ ὁ Φράστωρ αὐτὴν οὔτε κοσμίαν οὖσαν οὔτ᾿ ἐθέλουσαν αὐτοῦ ἀκροᾶσθαι . . . . ἐκβάλλει τὴν ἄνθρωπον.*

Quibus expositis apparere puto, cur Phrastor de rebus illis non libenter testimonium dixerit. Apud Athenienses autem omnibus testibus citatis aut testimonium dicendum aut eiurandum fuisse constat. Ut igitur hoc alterum quam maxime prohiberetur, saepe a litigantibus testimonia ita instituta ac composita esse puto, ut iis omnia quidem continerentur, quae ad rem propositam affirmandam necessaria erant, illa autem, quibus aliquis arceri posset, ne testaretur, si fieri poterat, omitterentur. Ita testimonia nonnulla se composuisse Aeschines in Timarchea certis verbis profitetur, cfr. § 45 *ἐγὼ τοίνυν καίπερ ὁμολογουμένου τοῦ πράγματος, ἐπειδὴ ἐν δικαστηρίῳ ἐσμέν, γέγραφα μαρτυρίαν Μισγόλᾳ ἀληθῆ μέν, οὐκ ἀπαίδευτον δέ, ὡς ἐγὼ ἐμαυτὸν πείθω. αὐτὸ μὲν γὰρ τοὔνομα τοῦ ἔργου ὃ ἔπραττε πρὸς τοῦτον οὐκ ἐγγράφω οὐδ᾿ ἄλλο γέγραφα οὐδέν, ὃ ἐπιζήμιόν ἐστιν ἐκ τῶν νόμων τῷ τ᾿ ἀληθῆ μαρτυρήσαντι. ἃ δέ ἐστιν ὑμῖν ἀκούουσι γνώριμα, ἀκίνδυνα δὲ καὶ μὴ τῷ μαρτυροῦντι αἰσχρά, ταῦτα γέγραφα* et § 67: *Οὐκοῦν καὶ αὐτὸν ὑμῖν καλέσω τὸν Ἡγήσανδρον. γέγραφα δ᾿ αὐτῷ μαρτυρίαν κοσμιωτέραν μὲν ἢ κατ᾿ ἐκεῖνον, μικρῷ δὲ σαφεστέραν ἢ τῷ Μισγόλᾳ.* Simili

modo Apollodorus in testimonio conscribendo id spectasse mihi videtur, ut Phrastori ipsi quam minimum de iis rebus dicendum esset, quas non laudabiliter fecerat. Inspiciamus igitur singula, quae testimonium continet. Plane ac diserte Phrastor affirmat, se, cum Phano peregrinam esse cognovisset, Stephanum in ius vocasse, et hoc statim initio testimonii commemorat, quamquam non pro certo dicit, id primum factum esse. Tum ceteris divortii causis plane praetermissis testatur, fraude Stephani se tam iratum fuisse, ut non dubitaret peregrinam illam abdicare domoque eicere. Ad quod illustrandum illud *καὶ οὐκέτι συνοικεῖν αὐτῇ*, quod Westermannus supervacaneum existimat, apte additum esse mihi videtur. Qua autem ratione sua ipsius accusatio cum Stephani accusatione, de qua deinde loquitur (*καὶ λαχόντος αὐτῷ Στεφάνου εἰς Ὠιδεῖον σίτου*), cohaereat, Phrastor non exponit; itaque ei non dicendum erat, se causam non prius ad iudices detulisse, quam timeret, ne ipse damnaretur. Neque id ipsum, dotem non esse redditam, in testimonio certis verbis expressum esse videmus; quod autem sine dubio hoc silentio omitti non poterat, Apollodorus id solum in testimonio inscripsit: *καὶ λαχόντος αὐτῷ Στεφάνου εἰς Ὠιδεῖον σίτου*. Nihilo minus iudices, cum Apollodorus antea singula explicavisset, ex testimonio recitato satis intellegere poterant, eum res vere narravisse.

Restat, ut pauca de extremis testimonii verbis *ἣν ἔλαχεν ἐμοὶ Στέφανος* dicam. Pro *ἐμοί* desiderari *αὐτῷ* Westermanno assentior; cur autem illud falsarii sit neque orator idem scribere potuerit, non video, praesertim cum in oratione ipsa permulta negligentissime scripta inveniamus. cfr. § 76 *καὶ τοῦτον τὸν νόμον γράψαντες ἐν στήλῃ λιθίνῃ ἔστησαν . . . μαρτυρίαν ποιούμενος ὁ δῆμος ὑπὲρ τῆς αὑτοῦ εὐσεβείας πρὸς τὸν θεὸν καὶ παρακαταθήκην καταλείπων τοῖς ἐπιγιγνομένοις, ὅτι τήν γε σοὶ γυναῖκα δοθησομένην καὶ ποιήσουσαν τὰ ἱερὰ τοιαύτην ἀξιοῦμεν εἶναι.*[1])

---

[1]) Cfr. Lortzingii dissert. pag. 68.

10. De testimonio p. 1365 § 61.

Τιμόστρατος Ἑκάληθεν, Ξάνθιππος Ἐροιάδης, Εὐάλκης Φαληρεύς, Ἄνυτος Λακιάδης, Εὐφράνωρ Αἰγιλιεύς, Νίκιππος Κεφαλῆθεν μαρτυροῦσιν εἶναι καὶ αὐτοὺς καὶ Φράστορα τὸν Αἰγιλιέα τῶν γεννητῶν οἳ καλοῦνται Βρυτίδαι, καὶ ἀξιοῦντος Φράστορος εἰςάγειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ εἰς τοὺς γεννήτας, εἰδότες αὐτοί, ὅτι Φράστορος υἱὸς εἴη ἐκ τῆς θυγατρὸς τῆς Νεαίρας, κωλύειν εἰςάγειν Φράστορα τὸν υἱόν.

Idem Phrastor, cum paulo post uxorem dimissam aegrotaret, ab hac ipsa et Neaera diligentissime curatus est et veritus, ne orbus moreretur, filium, quem Phano ex eo pepererat, recepit. Quem cum in phratores atque gennetas inducturus esset, ab illis prohibitus est et lite apud diaetetam instituta iurare iussus, filium esse natum ex cive attica, iusiurandum deseruit.

Quibus rebus expositis Westermannus de testimonio ipso haec affert: „Und was besagen nun die Zeugen? Ganz allgemein nur, dass sie als Angehörige der Brytidae die Aufnahme des Knaben in das Geschlechtsverzeichniss hintertrieben haben, den eigentlichen Beweis aber bleiben sie schuldig. Und doch kommt im vorliegenden Falle hierauf alles an. Der Redner verheisst § 55 ein Zeugniss *τοῦ τε Φράστορος καὶ τῶν φρατέρων αὐτοῦ καὶ γεννητῶν.* Wir wollen hier die *φράτορες* nicht urgieren, indem vermuthlich die Einführung des Kindes in das *γένος* mit der in die *φρατρία* zusammenfiel: aber wo bleibt das Zeugniss des Phrastor? Wir meinen natürlich nicht, dass der Redner diesen ein besonderes Zeugniss wird haben ablegen lassen; sonst würde er ihn namentlich aufrufen; aber so viel ist klar, dass ihm im Zeugniss der Brytidae eine besondere Rolle muss zugetheilt gewesen sein, eine Rolle, welche in der obigen Erzählung deutlich genug bezeichnet ist. Nicht darauf kam es an, bloss schlechthin auszusagen ‚wir haben den Phrastor gehindert, sein Kind in das *γένος* einzuführen‘, denn damit war doch immer die Rechtmässigkeit der Verweigerung noch nicht erhärtet; sondern darauf, zugleich die Unrecht-

mässigkeit der Forderung des Phrastor zu beweisen, und diesen Beweis hatte eben dieser selbst geliefert, indem er den ihm von dem Diäteten angetragenen Eid, nach seinem besten Wissen sei der Knabe von ihm in rechtsgültiger Ehe mit einer Bürgerin gezeugt, ablehnte. Kurz hierauf, auf die vor dem Diäteten geführten Verhandlungen, wird sich die Zeugenaussage namentlich bezogen haben, denn dadurch ward erst klar, was bewiesen werden sollte *ὡς ἔστι ξένη Νέαιρα αὕτη*.

Primum Westermannus verba § 55 *φέρε δὴ ὑμῖν καὶ ἑτέραν μαρτυρίαν παράσχωμαι τοῦ τε Φράστορος καὶ τῶν φρατέρων αὐτοῦ καὶ γεννητῶν* non recte interpretatur; quae non possunt significare, oratorem Brytidarum testimonium allaturum esse, ex quo appareret, quid Phrastor fecisset („aber so viel ist klar, dass ihm in dem Zeugnisse eine gewisse Rolle muss zugetheilt gewesen sein"), sed illis verbis Apollodorus diserte testimonium et Phrastoris et Brytidarum pollicetur. Quam ob rem miri aliquid habet, quod § 61 gennetae soli vocantur, ut res narratas testimonio confirment, neque facere possumus, quin hoc quoque loco de fraude quadam Apollodori cogitemus, cum promissis testimoniis et Phrastoris et gennetarum re vera gennetarum tantum testimonium afferat. Sed ne in eorum quidem testimonio omnia reperimus, quae propter oratoris explicationem exspectamus. Neque enim Brytidae testantur, Phrastorem iusiurandum deseruisse; id ipsum autem orator non parvi momenti aestimat; quamquam, id, quod Westermannus non cognovit, Neaeram esse peregrinam inde non confirmatur. Causae enim, quibus commotus Phrastor eam peregrinam iudicaverit, non afferuntur neque ob eam rem eius opinio plus valet quam gennetarum. Non igitur probo, quod Lortzingius pag. 46 de illo argumento dicit: „Ita Apollodorus apertissime sibi demonstravisse videtur, peregrinam esse Neaeram. Recte quidem . . ."

Nihilominus autem, cum oratorem ipsum ita argumentari videamus, quaerendum est, cur id in testimonio non inscripserit. Et hoc ipsum et quod, ut supra dixi, Phrastoris testimonium non attulit, optime explicari posse puto. Sine dubio enim Phrastor, cum filium, quem ex peregrina natum existimabat, in gennetas induceret, gravissime leges violaverat; quod ipse

confessus erat, cum iurare non auderet, Phano esse civem. Primum igitur dubito, num Phrastor hoc testari voluerit. Tum si Brytidarum testimonium ita compositum erat, ut inde appareret, Phrastorem leges violavisse, periculum erat, ne propterea in iudicium vocaretur; nam haud dubie aliquantum interest, utrum orator talia proferat, an ea testimoniis confirmentur. Idcirco igitur mea sententia orator, qui iam in componendo priore testimonio Phrastorem indulgenter tractaverat, neque eum ipsum ad testimonium dicendum vocavit et in Brytidarum testimonio summam tantum rerum, quae factae erant, inscripsit: Brytidas Phrastorem prohibuisse, quominus filium in gentem induceret.[1])

Id igitur explicari potest, cur orator ipse testimonium ita composuerit, sed non video, qua de causa falsarium rerum apud diaetetam actarum mentionem non fecisse dicamus; quamvis enim indiligenter perlegeret quae antecedunt ac quae sequuntur (cfr. §§ 62, 63), fugere eum non poterat, oratorem iis magnam vim tribuere.

Denique Westermannus in ambagibus verborum *μαρτυροῦσιν εἶναι καὶ αὐτοὺς καὶ Φράστορα τὸν Αἰγιλιέα τῶν γεννητῶν, οἳ καλοῦνται Βρυτίδαι* offendit. Cui assentior, Meierum falso de iis haec annotavisse: „Testes quod in gente sua significanda tantis utuntur verborum ambagibus probabile facit, nomen aut non admodum in usu fuisse aut habuisse aliquid, quod rei veritati repugnaret.“ Sed quoniam vidimus, tales ambages huius oratoris proprias esse, tantum abest, ut Westermannus verba illa ad auctoritatem testimonii impugnandam recte adhibuerit, ut iis ipsis fortasse testimonii fides augeatur.

11. De testimonio p. 1368 § 71.

Ναυσίφιλος Κεφαλῆθεν, Ἀριστόμαχος Κεφαλῆθεν μαρτυροῦσιν ἐγγυηταὶ γενέσθαι Ἐπαινέτου τοῦ Ἀνδρίου, ὅτ᾽ ἔφη Στέφανος μοιχὸν εἰληφέναι Ἐπαίνετον καὶ ἐπειδὴ ἐξῆλθεν Ἐπαί-

---

[1]) Cfr. quae iam supra ex Aeschinis Timarchea § 45 protuli: *αὐτὸ μὲν γὰρ τοὔνομα τοῦ ἔργου ὃ ἔπραττε, πρὸς τοῦτον οὐκ ἐγγράφω οὐδ᾽ ἄλλο γέγραφα οὐδέν, ὃ ἐπιζήμιόν ἐστιν ἐκ τῶν νόμων τῷ τἀληθῆ μαρτυρήσαντι.*

νετος παρὰ Στεφάνου καὶ κύριος ἐγένετο αὐτοῦ, γράψασθαι γραφὴν Στέφανον πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, ὅτι αὐτὸν ἀδίκως εἵρξε, καὶ αὐτοὶ διαλλακταὶ γενόμενοι διαλλάξαι Ἐπαίνετον καὶ Στέφανον. τὰς δὲ διαλλαγὰς εἶναι ἃς παρέχεται Ἀπολλόδωρος.

Διαλλαγαί.

Ἐπὶ τοῖςδε διήλλαξαν Στέφανον καὶ Ἐπαίνετον οἱ διαλλακταί, τῶν μὲν γεγενημένων περὶ τὸν εἱργμὸν μηδεμίαν μνείαν ἔχειν, Ἐπαίνετον δὲ δοῦναι χιλίας δραχμὰς Φανοῖ εἰς ἔκδοσιν, ἐπειδὴ κέχρηται αὐτῇ πολλάκις. Στέφανον δὲ παρέχειν Φανὼ Ἐπαινέτῳ, ὁπόταν ἐπιδημῇ καὶ βούληται συνεῖναι αὐτῇ.

Apollodorus iudices Neaeram non esse civem etiam ex Stephani avaritia et pravitate concludere posse dicit (§ 64). Stephanus enim per insidias Epaenetum quendam Andrium, quem iamdudum amatorem Neaerae fuisse et saepissime illius domum venisse orator narrat, ut adulterum apud Phano deprehenderat atque tam diu tenuerat, donec perturbata mente pretium triginta minarum se soluturum esse promitteret. Neque promissum praestitit, sed potius Stephanum apud thesmothetas accusavit, quod per iniuriam se tenuisset. Deprehensum se esse non negat, Phano autem non Stephani, sed Neaerae filiam esse contendit totamque Stephani familiam quaestu meretricio ali seque ipsum multum in eam impendisse. Quo facto Stephanus veritus, ne lenocinii convinceretur, Epaenetum commovit, ut litem tolleret et causam apud diaetetas agi pateretur. Apud quos quamquam Stephanus nihil grave defendere poterat, tamen effecit, ut Epaenetus Phano mille drachmas pro dote daret.

Quibus cum rebus optime ea convenire puto, quae testimonium et *διαλλαγῶν* formula continent. Nausiphilus et Aristomachus testes se ipsos pro Epaeneto praedes fuisse dicunt; per iniuriam Epaenetum coercitum esse ex initio *διαλλαγῶν* concludere possumus: *τῶν μὲν γεγενημένων περὶ τὸν εἱργμὸν μηδεμίαν μνείαν ἔχειν.* Denique quo alio ac Stephano auctore causam ad diaetetas delatam esse putamus illa legentes *γράψασθαι γραφὴν Στέφανον πρὸς τοὺς θεσμοθέτας . . . καὶ αὐτοὶ διαλλακταὶ γενόμενοι διαλλάξαι?*

Quaerat autem quispiam, quonam modo ex illa Stephani „*αἰσχροκερδία καὶ πονηρία*“ demonstrari possit, Neaeram non esse civem. Orator id ex eo concludi vult, quod Stephanus pecuniae causa et Neaeram ipsam et eius filiam cuilibet adulterandas praebuerat, atque iudicibus persuadere studet, non fieri posse, ut tales meretrices cives atticae sint.[1]) Hanc oratoris argumentationem non tam certam ac firmam esse, ut dubii nihil relinquatur, apparet; nam Neaera et Phano, quamquam meretricio more vivebant, tamen haud dubie cives esse poterant. Id autem certe Apollodorus effecit, ut iudices intellegerent, quam prava natura esset Stephanus.

Tali modo oratorem argumentari Westermannus non intellexisse videtur; nam omnia fere, quae in testimonio desiderat, ab illa argumentatione aliena sunt: „Die Zeugen, inquit, sagen bloss aus, sie hätten sich für Euaenetus (falso enim semper Westermannus hoc nomine pro Epaeneti utitur) verbürgt, als dieser von Stephanus angeblich auf *μοιχεία* ertappt worden, und als jener darauf gegen diesen eine Klage wegen unrechtmässiger Haft bei den Thesmotheten angestellt, beide mit einander wieder ausgesöhnt. Wie in aller Welt soll sich hieraus ergeben, dass Neaera keine Bürgerin sondern eine Fremde ist? Doch nicht etwa aus der Klage des Euaenetus? denn diese ist an und für sich gar nicht entscheidend, da sie auf Zureden der Vermittler vom Kläger selbst zurückgenommen wurde. Überdies wird Neaera, gegen welche das Zeugniss gerichtet ist, gar nicht einmal genannt und auch ihre Tochter Phano, welche doch in der ganzen sauberen Geschichte eine Hauptrolle spielt, kommt erst beiläufig in dem angehängten angeblichen Vertrage vor. Kurz es ist alles in der möglichst unklaren Weise ausgedrückt, und käme uns nicht der Redner selbst durch seine klare Auseinandersetzung zu Hülfe, so wäre es geradezu unmöglich, aus diesem Zeugniss allein den beabsichtigten Beweis zu deducieren. Wir meinen, es war Pflicht der Zeugen, zuerst den Thatbestand, die Überrumpelung des Euaenetus bei

---

[1]) Similiter orator § 108 demonstrare studet, Neaeram propter vitam ac mores civem existimari non posse.

der Phano und die darauf begründete Brandschatzung des Stephanus, wofür sie als Bürgen eintraten, zu konstatieren, hierauf die Klage des Euaenetus wegen ungesetzlicher Haft und Erpressung, dass nämlich Phano nicht des Stephanus, sondern der Neaera Tochter sei, aufzuführen und dann der von ihnen gestifteten Versöhnung nicht so schlechthin, wie es hier geschieht, zu gedenken, sondern zu erwähnen, wie der Antrag dazu von Stephanus selbst ausgegangen, wie dieser sich erboten, wenn Euaenetus die Klage zurücknähme, die Bürgen ihrer Verbindlichkeit zu entlassen (§ 68), und bei der desshalb anberaumten Konferenz auch nicht das Geringste zu seiner Rechtfertigung habe anbringen können, sondern sich aufs Bitten gelegt und schliesslich dem gutmüthigen Gegner noch 1000 Drachmen abgetrotzt (§ 69, 70). Hierin, in diesen Manövers des Stephanus, lag der eigentliche Beweis, der Redner selbst legt diesen seinen Zeugen deutlich in den Mund und sonach kann dieses Dokument, da es die Hauptsache geflissentlich umgeht, für ächt nicht gelten.“ Totam fere hanc explicationem obscuram mihi esse fateor. Non enim video, quam ob rem, si omnia illa, quae Westermannus desiderat, testimonio continerentur, magis comprobaretur, Neaeram non esse civem. Quo omnino modo ex illis, quae Apollodorus narrat, id comprobari velit Westermannus, non intellego neque scio, quid illud sit, quod dicit: „In diesen Manövers des Stephanus lag der eigentliche Beweis.“ Oratorem ex illo, quod Epaenetus defenderat *οὔτε γὰρ Στεφάνου θυγατέρα αὐτὴν εἶναι, ἀλλὰ Νεαίρας* (§ 67), nihil demonstrare voluisse, iam inde apparet, quod § 68 non invenimus *γνοὺς Στέφανος οὑτοσὶ ὅτι ἐξελεγχθήσεται συνοικῶν ξένῃ*, sed id solum . . . *ὅτι ἐξελεγχθήσεται πορνοβοσκῶν καὶ συκοφαντῶν.* Neque illa *δίκαιον μὲν οὐδὲν εἶχε λέγειν Στέφανος* (§ 69) ita sunt intellegenda, ut Stephanus non abnuisse dicatur, Neaeram peregrinam esse; sed verba ad illa tantum pertinent, quae in Epaenetum fecerat. Apud diaetetas igitur, ut orator quidem dicit, Stephanus nihil habuit, quo de his rebus se excusare posset.

Transeamus ad ea, quae Westermannus de extrema pactionis parte affert: „Hier kommt übrigens das *πολλάκις* sowohl als

auch der Schlusssatz *Στέφανον δὲ παρέχειν Φανὼ Ἐπαινέτῳ, ὁπόταν ἐπιδημῇ καὶ βούληται συνεῖναι αὐτῇ* ganz auf eigene Rechnung unseres Verfassers. Das Erstere ihm aufs Wort zu glauben berechtigt die ganze Darstellung des Redners nicht; das Letztere hingegen verräth zwar eine lebendige Einbildungskraft, macht aber den Euaenetus zu einem grossen Tölpel, wenn er nicht einsah, dass unter solchen Umständen die vorgespiegelte *ἔκδοσις* der Phano nur eine Schwindelei des Stephanus war, die er gleichwohl mit 1000 Drachmen honorierte." Primum illud *πολλάκις* minime ab Apollodori explicatione abhorrere mihi videtur. Confer cum ea, quae § 64 sunt: *καὶ καταγόμενον παρὰ τούτοις ὁπότε ἐπιδημήσειεν Ἀθήναζε διὰ τὴν φιλίαν τὴν Νεαίρας*, tum praecipue quae sequuntur (§ 67) *ἀνηλωκέναι τε πολλὰ εἰς αὐτάς . . . . νόμον παρεχόμενος, ὃς οὐκ ἐᾷ ἐπὶ ταύταις μοιχὸν λαβεῖν, ὁπόσαι ἂν ἐπ' ἐργαστηρίου καθῶνται ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως, ἐργαστήριον φάσκων καὶ τοῦτο εἶναι, τὴν Στεφάνου οἰκίαν.*

Etiam infirmius alterum illud Westermanni est. Cum neque Phrastor dotem acceptam reddidisset neque Stephanus denuo dotem conferre posset, non facile fieri poterat, ut civis Atheniensis Phano in matrimonium duceret. Tum Epaenetus mille drachmas ei pro dote se daturum esse apud diaetetas pollicitus est ea condicione, ut sibi liceret, quotiens Athenis esset, ea uti. Quid hoc clarius est? Illud quidem tam diu solum fieri potuisse, quam Phano penes Stephanum necdum nupta esset, patet. Neque ex ulla re concludi potest, iam tum de certo marito cogitatum esse.

Consideremus autem, quomodo res se habeat omissis et illo *πολλάκις* et extremis verbis pactionis. Tum Epaenetus, quem, quamquam saepe tota familia Stephani ab eo praedas fecerat, iniuria coercitum esse audivimus, temere ac nullo consilio aliquantum nummorum Phano dedisset. Ita si fecisset certe multo magis stultus ac stolidus nominari posset.

Lortzingius extremam partem *διαλλαγῶν* plane neglexit neque ob eam rem ei assentiri possum, quod pag. 47 dicit: „Arbitri ab eis electi ea conditione eos conciliant, ut Epaenetus

mille drachmas in Phanus dotem conferret. Haec ipsa sententia docet, non plane iustam fuisse Epaeneti causam.“

Denique Westermanno offensioni est vox illa *διαλλακταί*, quam pactionis formula praebet. „Warum unser Verfasser, inquit, die Schiedsrichter hier als *διαλλακταί* aufführt, ist schwer zu sagen. Allerdings waren sie ihrem Wesen nach *διαλλακταί*, ihr Geschäft das *διαλλάττειν* (§ 70), ihr Spruch eine *διαλλαγή* (§ 47), gleichwohl war ihre officielle Bezeichnung *διαιτηταί* und es ist kein Grund abzusehen, warum sie selbst sich nicht mit ihrem eigenen, sondern mit jenem allgemeineren Prädikat bezeichnet haben sollten.“ Quam sententiam probo; sed explicari posse puto, cur in pactionis formula verba *οἱ διαλλακταί* exstent. Haud dubie enim in pactionibus consignatis etiam nomina diaetetarum ipsorum inscribebantur. Quoniam autem et hic et § 47 iidem testimonium dicunt, qui antea diaetetarum munere functi erant, atque igitur eorum nomina iam in testimoniis inveniuntur, mea sententia librarius aliquis nomina in pactionibus inutiliter repeti noluit et illo loco ea plane omisit, hoc autem pro iis scripsit *οἱ διαλλακταί*; quod ipsum eum ex testimonio antecedenti prompsisse existimo, in quo invenimus *καὶ αὐτοὶ διαλλακταὶ γενόμενοι διαλλάξαι Ἐπαίνετον καὶ Στέφανον.* Apollodorus autem testimonium conscribens diaetetas illo nomine appellare potuit[1]) neque in hac re Westermannus offendisse videtur.

12. De testimonio p. 1373 § 84.

Θεογένης Ἐρχιεὺς μαρτυρεῖ, ὅτε αὐτὸς ἐβασίλευε, γῆμαι Φανὼ ὡς Στεφάνου οὖσαν θυγατέρα, ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο ἐξηπατημένος, τήν τε ἄνθρωπον ἐκβαλεῖν καὶ οὐκέτι συνοικεῖν αὐτῇ, καὶ Στέφανον ἀπελάσαι ἀπὸ τῆς παρεδρίας καὶ οὐκ ἐᾶν ἔτι παρεδρεύειν αὐτῷ.

Phano illam a Phrastore dimissam Theogenes quidam, cum munere archontis regis fungebatur, in matrimonium duxit idemque Stephanum *πάρεδρον* sibi sumpsit. Paulo autem post et uxorem repudiavit et Stephanum munere movit. Quod quibus

---

[1]) Cfr. Demosth. Orat. XXXXVIII § 2.

causis factum esset, orator multis verbis exposuit (cfr. § 80—84). Areopagitas narrat de regis uxore quaestione instituta quae illa esset cognovisse; vehementer igitur exacerbatos, quod Theogenes talem feminam in matrimonium duxisset, illos primum quidem eum poenis afficere voluisse, tum precibus eius commotos, cum Phano esse Neaerae filiam se ignoravisse dixisset, id tantum postulavisse, ut Phano ac Stephanum dimitteret. Quod se fecisse testimonio illo Theogenes affirmat.

De eius quoque fide dubitandum esse Westermannus censet. „Den Inhalt dieser Aussage, inquit, scheint der Verfasser aus den Worten § 79 *φέρε δὴ καὶ μαρτυρίαν παράσχωμαι ὑμῖν δι' ἀπορρήτου μὲν γεγενημένην, ὅμως δὲ αὐτοῖς τοῖς πεπραγμένοις ἐπιδείξω φανερὰν οὖσαν αὐτὴν καὶ ἀληθῆ* abgeleitet zu haben, welche er offenbar so auffasste, dass der Sprecher nicht den ganzen Verlauf der vor dem Areopag gepflogenen geheimen Verhandlungen (§ 80—83), sondern bloss den Erfolg, die offenkundige That, die Lossagung des Theogenes von der Phano und dem Stephanus bezeugen lassen wollte. Es ist jedoch sehr die Frage, ob die Worte zu dieser Folgerung berechtigen. Der Beweis würde nichts weniger als bündig sein: denn wie ist es möglich, aus dem blossen Erfolge, aus der offenkundigen That des Theogenes auf die vorher insgeheim vor dem Areopag gepflogenen Verhandlungen einen Schluss zu machen? Die letzteren würden völlig in der Luft schweben, wenn nicht auch darauf mit das Zeugniss gerichtet wäre, und überdies ruht ja hier der eigentliche Schwerpunkt des Beweises, indem ja der areopagitische Rath es war, dem es gelang, dem Verbrechen auf die Spur zu kommen. Uns scheint, in dem Ausdrucke *τοῖς πεπραγμένοις* liege nicht eine Beziehung bloss auf die That, welche Theogenes in Folge jener Verhandlungen vollzog, sondern es ist damit der ganze Verlauf der Sache bezeichnet. Ich will euch, sagt der Redner, noch einen Beweis vorlegen, der zwar insgeheim geführt worden ist, den ich aber durch eine einfache Erzählung der Thatsachen aufklären und bewahrheiten will. Nun folgt die Erzählung."

Rectissime Westermannus dicit, multum referre, quomodo verba *φέρε δὴ καὶ μαρτυρίαν παράσχωμαι ὑμῖν δι' ἀπορρήτου*

μὲν γεγενημένην, ὅμως δὲ αὐτοῖς τοῖς πεπραγμένοις ἐπιδείξω φανερὰν οὖσαν αὐτὴν καὶ ἀληθῆ intellegenda sint. Nec minus cum Westermanno *μαρτυρίαν δι' ἀπορρήτου γεγενημένην* scribendum esse puto; si enim codicem Σ sequentes legimus ... *γεγενημένων*, illa *ὅμως δὲ αὐτοῖς τοῖς πεπραγμένοις ἐπιδείξω φανερὰν οὖσαν αὐτὴν καὶ ἀληθῆ* plane obscura sunt, neque perspicio, quem ad modum Baiter ac Sauppius, qui *γεγενημένων* in textum receperunt, haec interpretati sint.

Assentior igitur Westermanno, *μαρτυρίαν* esse testimonium, quod areopagitae iudicio suo contra Phano atque Neaeram dederant, non testimonium illud Theogenis, quod orator ad res confirmandas affert. [1])

Quaeritur autem, quid sibi velint illa *τοῖς πεπραγμένοις*. Westermannus, ut vidimus, haec et ea esse, quae apud areopagum et quae a Theogene facta erant, interpretatur atque idcirco utrumque Theogenis testimonio confirmari oportere censet. Sed illa interpretatio minime comprobanda est. Ita enim si verba intelligenda essent, primum non appareret, cur orator clam ac silentio (*δι' ἀπορρήτου*) de Phano apud areopagum actum esse praecipue commemoraret, neque cur et illud *αὐτοῖς* (*τοῖς πεπραγμένοις*) et *μέν* — *ὅμως δέ* particulae addita essent. Tum si Theogenes diserte id testatus esset, quod solum demonstrandum erat, areopagitas Phano peregrinam iudicavisse, non esset perspicuum, qua de causa orator omnia illa, quae in paragraphis 81—84 sunt, tam accurate ac tot verbis exponeret.

Mea igitur sententia *τὰ πεπραγμένα* de eo tantum dicta sunt, quod Theogenes uxorem dimiserat ac Phrastorem depulerat, et illa *φέρε δὴ καὶ μαρτυρίαν παράσχωμαι ὑμῖν δι' ἀπορρήτου μὲν γεγενημένην, ὅμως δὲ αὐτοῖς τοῖς πεπραγμένοις ἐπιδείξω φανερὰν οὖσαν αὐτὴν καὶ ἀληθῆ* haec fere significant: Areopagitas de origine Phanus quaesivisse eamque peregrinam iudicavisse; cum autem quaestio illa occulte habita esset, id ex eo esse concludendum, quod Theogenem areopagitis auctoribus fecisse constaret.

[1]) Aliis quoque orationis locis vox *μαρτυρία* non testimonium literis consignatum significat, cfr. §§ 63, 76, 88, 93, 122.

Ita si verba intelleguntur, non iam obscurum est, quo longa explicatio §§ 81, 82, 83 spectet; oratori enim haud dubie id potissimum comprobandum erat, divortium illud cum iudicio areopagitarum artissime cohaerere atque ex eo ipso esse ortum.

Ut igitur ex oratoris ipsius verbis efficitur, nihil aliud in Theogenis testimonio fuit, nisi quod illa formula continet. Westermanno quidem concedendum est, oratorem ita minime demonstravisse, quod demonstrandum sibi proposuerat, Areopagitas Phano peregrinam cognovisse; at id non contra testimonii auctoritatem, sed potius contra argumentationem oratoris afferendum erat.

Num igitur orator de iudicio areopagitarum recte dixerit, iure dubitari potest, praesertim cum neque ipse, ut iam supra commemoravi, ullo loco comprobaverit, Phano esse peregrinam, et Stephanus, id quod ex § 119 concludere licet, eam suam esse filiam, ex priore uxore natam, defenderit. Id quiden non abnuerim, re vera areopagitis auctoribus Phano a Theogene dimissam esse; nescio autem an propter alias causas atque orator dicit (cfr. § 81 *ἐδεῖτο ὁ Θεογένης ἱκετεύων καὶ ἀντιβολῶν, λέγων ὅτι οὐκ ᾔδει Νεαίρας αὐτὴν οὖσαν θυγατέρα, ἀλλ᾽ ἐξαπατηθείη ὑπὸ Στεφάνου, ὡς αὐτοῦ θυγατέρα οὖσαν αὐτὴν λαμβάνων γνησίαν κατὰ τὸν νόμον* et § 82 *τὴν γὰρ ἄνθρωπον ἀποπέμψω ἐκ τῆς οἰκίας, ἐπειδὴ οὐκ ἔστι Στεφάνου θυγάτηρ, ἀλλὰ Νεαίρας* etc.) id ipsum ab eo postulaverint. Primum enim Phano propter vitam inhoneste actam sine dubio indigna erat, quae summo illo sacerdotio fungeretur; eam enim a Phrastore domo eiectam meretricio more vixisse areopagitae certe quaestione instituta intellexerunt. Tum Theogenes, cum Phano duceret, legem illam prorsus neglexerat, de qua orator § 75 loquitur: *τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ νόμον ἔθεντο . . . εἶναι μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρί, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν.* Fortasse igitur ob eas tantum res areopagitae ei succensuerunt. Ita si res se habuit, fieri non potuisse, ut illa, quae orator de areopagitarum iudicio dixerat, vero testimonio confirmarentur, apparet.

Deinde falso Westermannus iudicat, Theogenem nihil habuisse, cur non libenter ea, quae in illa formula insunt,

affirmaret, ideoque verba § 84 *καὶ ἀναγκάσω μαρτυρεῖν* intellegi non posse. Immo vero, ut mihi quidem videtur, Theogeni maxime molestum ac grave erat testari, archontem regem se Phano illam in matrimonium duxisse, quam non modo non virginem, sed potius meretricem fuisse iudices compertum haberent.

Denique Westermannus extremam partem testimonii *τήν τε ἄνθρωπον ἐκβαλεῖν καὶ οὐκέτι συνοικεῖν αὐτῇ, καὶ Στέφανον ἀπελάσαι ἀπὸ τῆς παρεδρίας καὶ οὐκ ἐᾶν ἔτι παρεδρεύειν αὐτῷ* ut verbosius scriptam reprehendit. Talia a sermone oratoris minime aliena esse iam saepe dixi. Fortasse autem is similiter atque in testimonio § 54 consilio tot verbis usus est, quo clarius appareret, quo animo Theogenes in Phano ac Stephanum esset.

13. De testimonio p. 1387 § 123.

Ἱπποκράτης Ἱπποκράτους Προβαλίσιος, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεύς, Διοφάνης Διοφάνους Ἀλωπεκῆθεν, Διομένης Ἀρχελάου Κυδαθηναιεύς, Δεινίας Φορμίδου Κυδαντίδης, Λυσίμαχος Λυσίππου Αἰγιλιεὺς μαρτυροῦσι παρεῖναι ἐν ἀγορᾷ, ὅτ' Ἀπολλόδωρος προὐκαλεῖτο Στέφανον, ἀξιῶν παραδοῦναι εἰς βάσανον τὰς θεραπαίνας, περὶ ὧν ᾐτιᾶτο Ἀπολλόδωρος Στέφανον περὶ Νεαίρας· Στέφανον δ' οὐκ ἐθελῆσαι παραδοῦναι τὰς θεραπαίνας· τὴν δὲ πρόκλησιν εἶναι ἣν παρέχεται Ἀπολλόδωρος.

Πρόκλησις.

Τάδε προκαλεῖται Ἀπολλόδωρος Στέφανον, περὶ ὧν τὴν γραφὴν γέγραπται, Νέαιραν ξένην οὖσαν ἀστῷ συνοικεῖν, ἕτοιμος ὢν τὰς θεραπαίνας παραλαμβάνειν τὰς Νεαίρας, ἃς ἐκ Μεγάρων ἔχουσα ἦλθε, Θρᾶτταν καὶ Κοκκαλίνην, καὶ ἃς ὕστερον παρὰ Στεφάνῳ ἐκτήσατο, Ξεννίδα καὶ Δροσίδα, τὰς εἰδυίας ἀκριβῶς περὶ τῶν παίδων τῶν Στεφάνου, ὅτι ἐκ Νεαίρας εἰσί, Πρόξενός τε ὁ τελευτήσας καὶ Ἀρίστων ὁ νῦν ὢν καὶ Ἀντιδωρίδης ὁ σταδιαδρομῶν καὶ Φανώ, ἐφ' ᾧ τε βασανίσαι αὐτάς. καὶ εἰ μὲν ὁμολογοῖεν ἐκ Στεφάνου εἶναι καὶ Νεαίρας τούτους τοὺς παῖδας, πεπρᾶσθαι Νέαιραν κατὰ τοὺς νόμους καὶ τοὺς παῖδας ξένους εἶναι· εἰ δὲ μὴ ὁμολογοῖεν ἐκ ταύτης εἶναι αὐτούς, ἀλλ' ἐξ'

ἑτέρας γυναικὸς ἀστῆς, ἀφίστασθαι τοῦ ἀγῶνος ἤθελον τοῦ Νεαίρας, καὶ εἴ τι ἐκ τῶν βασάνων βλαφθείησαν αἱ ἄνθρωποι, ὁποτίνειν ὅ τι βλαβείησαν.

In priore orationis parte Apollodorus hoc potissimum demonstrare studuit, Neaeram esse peregrinam, atque profecto id demonstravisse mihi videtur, quamquam non omnia, quae affert, argumenta firma ac plana sunt. Sed ut Neaera convinceretur „*ξένη οὖσα ἀστῷ συνοικεῖν*“, eum id quoqe comprobare necesse erat, Stephanum Neaera pro legitima uxore uti. Quae essent veri matrimonii signa, orator ipse § 122 exposuit: *τὸ γὰρ συνοικεῖν τοῦτ᾽ ἔστιν, ὃς ἂν παιδοποιῆται καὶ εἰςάγῃ εἴς τε τοὺς φράτερας καὶ δημότας τοὺς υἱεῖς, καὶ τὰς θυγατέρας ἐκδιδῷ ὡς αὐτοῦ οὔσας τοῖς ἀνδράσιν.* Ego vero persuasum habeo, Stephanum non solum Phano ut suam filiam Phrastori atque Theogeni spopondisse, sed etiam, id quod Lortzingius pag. 45 in dubium vocare videtur, tres illos, de quibus orator § 121 dicit, ut filios suos in phratoras induxisse. Nam quamquam hoc alterum Apollodorus testimoniis non confirmavit, tamen sine ulla dubitatione nos verbis eius credere posse puto; si enim Stephanus filios non induxerat, certe nihil facilius ei erat, quam crimen oratoris refellere. Neque, ut videtur, id negavit, sed potius se ita suo iure fecisse demonstrare conatus est. Ut enim ex § 119 sq. apparet, Stephanus contendit, se Neaeram ut concubinam secum habere, quattuor autem illos liberos non ex ea, sed e priore uxore legitima esse natos.

Apollodorus, cum provideret, Stephanum hoc defensurum esse, per proclesin, quae vocatur, eum provocaverat, ut servas Neaerae, quae de liberorum origine scirent, tormentis interrogandas sibi traderet. Quod cum Stephanus recusavisset, certo argumento ac testimonio destitutum se esse orator dicit; iudicibus autem persuadere studet, ex eo ipso, quod Stephanus servas exhibere noluerit, apparere, causam eius iustam non esse.

Quibus expositis iam formulas ipsas et testimonii et proclesis accuratius perpendamus. Pro verbis proclesis *τὰς εἰδυίας ἀκριβῶς περὶ τῶν παίδων τῶν Νεαίρας ὅτι ἐκ Στεφάνου εἰσί*, quae codices praebent, cum Baitero scripsi . . . *περὶ τῶν παίδων τῶν Στεφάνου ὅτι ἐκ Νεαίρας εἰσί.* Orator enim id demonstrare

studet, Stephanum quattuor illos liberos ex Neaera suscepisse, non ex uxore legitima (cfr. § 119, sqq.) Falsam esse Voemelii coniecturam *ὅτι οὐκ ἐκ Στεφάνου εἰσί* etiam ex iis, quae sequuntur *καὶ εἰ μὲν ὁμολογοῖεν ἐκ Στεφάνου εἶναι καὶ Νεαίρας τούτους τοὺς παῖδας, πεπρᾶσθαι Νέαιραν* etc., intellegere possis, unde patet, eo consilio Apollodorum Stephanum provocavisse, ut servae testarentur, illos Stephani et Neaerae esse liberos.

In testimonio nihil in est, quod contra eius auctoritatem proferri possit, ac Westermannuus ipse pag. 112 id recte conscriptum esse concedit. Ex testimonio solo intellegimus, proclesin in foro factam esse, id quod certe credibile videtur. Cfr. Demosth. XXIX § 12 *ἀλλὰ μὴν οὐχ εἷς οὐδὲ δύο ταῦτ' ἴσασιν οὐδ' ὑπὸ μάλης ἡ πρόκλησις γέγονεν, ἀλλ' ἐν τῇ ἀγορᾷ μέσῃ πολλῶν παρόντων.*

Cum testimonio artissime proclesis ipsa coniuncta est Perperam de ea Heffter, die athenäisehe Gerichtsverfassung, pag. 317 sic disputat: „Gemeiniglich geschahen die Aufforderungen schriftlich, zuweilen aber auch mündlich in Gegenwart von Zeugen. Eine schriftlich verabfasste werden wir in den Anlagen aus der Rede wider Neaera beifügen.“ Primum non duo talia genera proclesis discerni possunt, sed, quod videam, eae nisi coram testibus non fiebant. Plerumque, id quod rei naturae respondet, condiciones proclesis tum demum literis mandabantur, si is, qui provocatus erat, eam acceperat; interdum quidem provocantes condiciones iam antea consignavisse constat (cfr. Meier u. Schoemann, der att. Process p. 680); sed ne id quidem in illam formulam quadrat; nam ut ex imperfecto *ἤθελον* atque optativis illis *ὁμολογοῖεν* et *βλαβείησαν* sequitur, quae Heffter pag. 474 plane praetermisit, orator eam in anacrisi, ut in echinum inici posset, conscripsit, postquam Stephanus ne servas traderet recusavit. Praesens quidem illud *προκαλεῖται*, quod cod. Σ praebet, tenendum esse puto. Initium igitur formulae orator ita composuit, ut mea sententia tales pactiones sive ante provocationem sive provocatione accepta componi solebant. Neglegenter autem sub finem formulae non solum a tertia persona ad primam transit (cfr. ea, quae legimus in testimonio § 54: *ἣν ἔλαχεν ἐμοὶ Στέφανος*), sed ne praesens quidem tempus retinet. Cave autem iudices, hanc neglegentiam

falsarii manum indicare. Immo vero talia omnium diligentissime falsarius evitavisset.

Hudtwalcker neque oratoris explicationem neque testimonium inspexisse videtur, cum in libro, qui inscribitur Über die öffentlichen und Privat-Schiedsrichter in Athen, pag. 48 annotet: „Eine Formel eines Kontrakts über eine angenommene *πρόκλησις* findet sich bei Demosthenes wider Neaera 1387.“

Ut denique pauca de illis *καὶ εἴ τι ἐκ τῶν βασάνων βλαφθείησαν αἱ ἄνθρωποι, ἀποτίνειν ὅ τι βλαβείησαν* addam, semper eius, qui adversarium provocaverat, fuisse videtur, si servi in tormenta dati nihil contra dominum testati erant, damnum restituere, quod adversarius corporibus servorum laesis fecerat. (Cfr. Meier u. Schoemann, der att. Process pag. 681.)

Guggenheimius, Die Bedeutung der Folterung im att. Process, pag. 49 propter verba illa *εἰ μὲν ὁμολογοῖεν ἐκ Στεφάνου εἶναι καὶ Νεαίρας τούτους τοὺς παῖδας, πεπρᾶσθαι Νέαιραν κατὰ τοὺς νόμους καὶ τοὺς παῖδας ξένους εἶναι* de fide formulae dubitat; cum enim privatas tantum causas pactione diiudicare liceret, omnino fieri non potuisse, ut Apollodorus et Stephanus de Neaera ac liberis ita inter se paciscerentur. At de tali pactione, quam Apollodorus cum Stephano facere voluerit, in formula nihil scriptum est. Ego enim extremam formulae partem sic intellegendam esse puto: Apollodorum in provocatione dixisse, si servae liberos non ex Neaera esse natos testarentur, se a lite destiturum esse; sin contra Stephanum testimonium dicerent, litem se usque ad finem esse exsecuturum, ut Neaera secundum leges veniret atque liberi numero peregrinorum ascriberentur.

Caput II.

De legibus.

1. De lege p. 1350 § 16.

Ἐὰν δὲ ξένος ἀστῇ συνοικῇ τέχνῃ ἢ μηχανῇ ᾑτινιοῦν, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος, οἷς ἔξεστιν. ἐὰν δὲ ἁλῷ, πεπράσθω καὶ αὐτὸς καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ, καὶ τὸ

τρίτον μέρος ἔστω τοῦ ἑλόντος. ἔστω δὲ καὶ ἐὰν ἡ ξένη τῷ ἀστῷ συνοικῇ κατὰ ταὐτά, καὶ ὁ συνοικῶν τῇ ξένῃ τῇ ἁλούσῃ ὀφειλέτω χιλίας δραχμάς.

Tres sunt legis partes, quarum prima atque altera peregrini ac peregrinae cum civibus atticis matrimonium inire vetantur. De poenis haud dubie accuratius scriptum est id, quod in formula invenimus *ἐὰν δὲ ἁλῷ, πεπράσθω καὶ αὐτὸς καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ* quam quod orator § 17 dicit *κἂν ἁλῷ, πεπρᾶσθαι κελεύει.* In illis *καὶ τὸ τρίτον μέρος ἔστω τοῦ ἑλόντος* nemo, quantum video, offendit. Acerrime autem in tertiam legis partem *καὶ ὁ συνοικῶν τῇ ξένῃ τῇ ἁλούσῃ ὀφειλέτω χιλίας δραχμάς* Van den Es, De iure familiarum, pag. 22 invectus est, qui minime iuris ac iustitiae rationi convenire ait, eum, qui mulierem peregrinam huius dolo et fraude circumventus duxisset, mille drachmis multari. Quod iudicium certe comprobandum est; sed id ipsum, quod Van den Es dicit, civem, cum matrimonium iniret, fraude captum uxorem non peregrinam existimavisse, in formula non invenitur. Vir doctus id ex verbis *κατὰ ταὐτά* collegisse videtur; ea enim, ut ex interpunctione, quam adhibet (*ἔστω δὲ καί, ἐὰν ἡ ξένη τῷ ἀστῷ συνοικῇ κατὰ ταὐτά*), efficitur, ad illa *τέχνῃ ἢ μηχανῇ ᾑτινιοῦν* pertinere putat; sine dubio autem coniungenda sunt cum verbis *ἔστω δέ*, ut iam Taylorus (cfr. eius annot. ad p. 1350 v. 22) recte cognovit. Verba igitur *ἔστω δὲ καὶ ἐὰν ἡ ξένη τῷ ἀστῷ συνοικῇ κατὰ ταὐτά* significant, mulierem peregrinam, quae legem violavisset, iisdem poenis teneri quibus peregrinum.

Sed ut verba *κατὰ ταὐτά* respicerent ad illa *τέχνῃ ἢ μηχανῇ ᾑτινιοῦν*, ne tum quidem id, quod Van den Es vult, concludi posset. Falso enim et ille et Thonissenius, Le droit pénal, pag. 345 verba illa *τέχνῃ ἢ μηχανῇ ᾑτινιοῦν* de ea tantum fraude dicta esse putant, quae uxori vel *κυρίῳ* eius illata erat; ego magis de iis machinationibus cogitaverim, quibus peregrini magistratus decipere studebant, cum se ipsos et liberos cives esse simularent, quamquam non plane ea sequor, quae Philippi, Beiträge zu einer Geschichte des attischen Bürgerrechts, pag. 73 annotat: „Ich beziehe vor allem die Worte

τέχνῃ und μηχανῇ nicht auf Vorspiegelungen, welche eine Ehehälfte der anderen machte, da diese ja doch nicht lange unentdeckt bleiben konnten, sondern auf die gesetzwidrige Anmassung der Rechtswirkung einer rechtmäsigen Ehe"; nam sine dubio ἡτισοῦν μηχανὴ καὶ τέχνη et eam fraudem significare potest, quae uxori, et eam, quae magistratibus illata erat. Civem autem, qui inscius et invitus peregrinam duxerat, extra poenam fuisse liquet.

Praeterea Thonissenius perperam ex verbis τέχνῃ ἢ μηχανῇ ᾑτινιοῦν effici vult, peregrinum, si fateretur, unde ortus esset, impune civem atticam in matrimonium ducere potuisse, neque discernit concubinatum, quem semper inter Athenienses et peregrinos concessum fuisse constat, et matrimonium legitimum (cfr. § 122), de quo solo lex est.

Deinde Van den Es iniustum esse arbitratur, civem atticum, qui peregrinam duxisset, multari, cum civis attica, quae peregrino nupsisset, non multaretur. Etsi vir doctus recte ita iudicavisset, tamen hoc non argumento contra fidem formulae esset. Lex enim ita componi poterat, ut in fine eius post illa, quae formula continet, aliquid de uxore peregrini statueretur. Neque certe Apollodoro, cum in anacrisi formulam in echinum iniceret, causa erat, cur hanc legis partem adderet, quippe quae ad Neaerae et Stephani causam non pertineret.

Sed ego plane assentior, quod Lipsius in nova editione libri, qui inscribitur der attische Process, pag 443 minime opus esse annotat, cum Meiero (cfr. Der attische Process p. 350) ita conicere; probabile enim mihi quoque videtur, uxorem peregrini poena liberam fuisse. Neque enim ea aut ut civis atticus, qui muliere peregrina tamquam uxore legitima utitur, filios in phratriam inducit et alia eius modi facit, quippe quod mariti sit, aut ut peregrina, quae civi attico nupsit, civem se esse simulat, quoniam est civis. Id quidem verisimile videtur, legibus in κύριον, qui civem atticam peregrino in matrimonium dedisset, poenam constitutam fuisse, et is certe poena dignus erat (Cfr. Lipsius l. l.)

Quia orator § 17 dicit, per legem a scriba recitatam non

licere, peregrinos cum civibus *οὐδὲ συνοικεῖν οὐδὲ παιδοποιεῖσθαι*, Lortzingius pag. 44 hanc ipsam vocem *παιδοποιεῖσθαι* in lege fuisse putat. Mea sententia orator quidem explicandi causa eam addere poterat, in lege autem ipsa, quae sine dubio accurate ac distincte scripta erat, ea minime fuit; nam verbum *συνοικεῖν*, quod certe in lege erat, eam complecitur; id enim significat, ut ex verbis § 122 *τὸ γὰρ συνοικεῖν τοῦτ᾽ ἔστιν, ὃς ἂν παιδοποιῆται καὶ εἰςάγῃ εἴς τε τοὺς φράτερας καὶ δημότας τοὺς υἱεῖς καὶ τὰς θυγατέρας ἐκδιδῷ ὡς αὐτοῦ οὔσας τοῖς ἀνδράσιν* apparet, et *παιδοποιεῖσθαι* et *εἰςάγειν* et *ἐκδιδόναι*. Neque orator hoc loco (§ 122), ubi haud dubie legis formulam respicit, ad notionem verbi *συνοικεῖν* explicandam illud *παιδοποιεῖσθαι* attulisset, si id iam in formula fuisset. Neque vero in significatione verbi *συνοικεῖν* definienda maxima vis illi *παιδοποιεῖσθαι* tribuenda est, quippe quod in concubinatum quoque cadere possit; ego multo magis id, quod orator dicit, *τὸ εἰςάγειν* et *τὸ ἐκδιδόναι*, signum esse putaverim.

Et videtur Lortzingius ipse intellexisse *παιδοποιεῖσθαι* solum non apte in lege potuisse inscribi; qua de causa ei vocem *γνησίως* addi vult. At hanc vocém, qua addita notio verbi *παιδοποιεῖσθαι* longe alia fit, nullo loco, ubi de lege agitur, invenimus; in illis enim § 122: *τὰς δὲ γυναῖκας ἔχομεν τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν*, unde vir doctus eam prompsit, orator non iam de verbis legis dicit. Praeterea nescio an sensu careret, si quis lege vetaretur *γνησίως παιδοποιεῖσθαι*; hoc enim non cum Lortzingio signum, sed potius finis veri matrimonii appellandum est.

2. De lege p. 1363 § 52.

Ἐὰν δέ τις ἐκδῷ ξένην γυναῖκα ἀνδρὶ Ἀθηναίῳ ὡς ἑαυτῷ προςήκουσαν, ἄτιμος ἔστω καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ δημοσία ἔστω, καὶ τοῦ ἑλόντος τὸ τρίτον μέρος. γραφέσθων δὲ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, οἷς ἔξεστι, καθάπερ τῆς ξενίας.

Lege interdicitur, ne quis mulierem peregrinam ut propinquam suam civi attico despondeat. Hoc civibus atticis tantum

interdici atque verba *ἀτίμητος ἔστω* ad eos solos spectare posse, tam manifestum atque apertum est, ut ego non cum viro docto Van den Es (cfr. pag. 23) post illa *ἐὰν δέ τις* verba *Ἀθηναῖος ὢν* desiderem.

Idem etiam finem formulae (*γραφέσθων δὲ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας οἷς ἔξεστι, καθάπερ τῆς ξενίας*) recentiorem manum arguere putat, cum in eo verba *ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων* desint, quae in priore formula invenimus (*γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος, οἷς ἔξεστιν*). Sed cur haec verba necessario addenda fuerint, me non intellegere fateor; nam illa *γραφέσθων δὲ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, οἷς ἔξεστι* nihil aliud significant, nisi apud thesmothetas dicam scribendam esse.

Poenas, quas qui legem violavisset, sibi contraheret, gravissimas esse orator § 53 dicit (*γνοὺς δ' ὅτι κινδυνεύσει ἐξελεγχθεὶς ξένης θυγατέρα ἠγγυηκέναι ταῖς ἐσχάταις ζημίαις περιπεσεῖν*); credibile igitur sine dubio est, quod in formula invenimus: *ἄτιμος ἔστω, καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ δημοσία ἔστω.*

3. De lege p. 1374 § 87.

Ἐπειδὰν δὲ ἕλῃ τὸν μοιχόν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί· ἐὰν δὲ συνοικῇ ἄτιμος ἔστω. μηδὲ τῇ γυναικὶ ἐξέστω εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ' ᾗ ἂν μοιχὸς ἁλῷ· ἐὰν δ' εἰσίῃ, νηποινεὶ πασχέτω ὅ τι ἂν πάσχῃ, πλὴν θανάτου.

Pars tantum legis haec est; propterea non diserte is appellatur, ad quem prima verba *ἐπειδὰν δὲ ἕλῃ τὸν μοιχόν* spectant. Falsarius sine dubio non facile ita finxisset initium formulae, sed potius certis verbis de marito dixisset.

Singula, quae formula continet, examinare non opus est, cum exceptis illis *ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω*, quae vix offensioni esse possunt, omnia in verbis orationis ipsius §§ 85, 86 reperiantur.

Frankius[1]), quem Dindorfius (cfr. eius annotationem) sequitur, formulam suppositam esse censet et falsarium ne ea quidem adhibuisse contendit, quae orator antea exposuisset. Ego paragraphis 85 et 86 etiam atque etiam perlectis nihil invenio, quod in formula iure desiderari possit; neque magis in illis, quae

---

[1]) Neue Jenaische Allgem. Literatur-Zeitung 1844, pag. 742.

*

Aeschines in Oratione in Timarchum p. 26 § 183 de poenis adulterarum disserit, quidquam eiusmodi invenitur. Nam, ut supra dixi, formula illa pars legis est et scriba ea tantum recitat, quae ad Phanus delicta pertinent. Ea igitur, quae Aeschinis oratio habet: *τὴν γὰρ γυναῖκα, ἐφ᾽ ᾗ ἂν ἁλῷ μοιχός, οὐκ ἐᾷ κοσμεῖσθαι . . . ἐὰν δὲ κοσμῆται, τὸν ἐντυχόντα κελεύει καταρρηγνύναι τὰ ἱμάτια καὶ τὸν κόσμον ἀφαιρεῖσθαι καὶ τύπτειν εἰργόμενον θανάτου καὶ τοῦ ἀνάπηρον ποιῆσαι*, in posteriore legis parte fuisse possunt.

Aeschines indiligentius poenas, quibus propositis adulterae se exornare et quibus in sacra publica ingredi vetabantur, confudisse videtur, cum de utroque idem legibus statutum esse dicat: *ἐὰν δὲ εἰσίῃ ἢ κοσμῆται, τὸν ἐντυχόντα κελεύει . . . εἰργόμενον θανάτου καὶ τοῦ ἀνάπηρον ποιῆσαι.* Apollodorus enim adulteram in sacris publicis deprehensam quavis poena, mortis sola excepta, multari posse dicit et id bis tam diserte affirmat (*ἐὰν δ᾽ εἰσίωσι . . . . νηποινεὶ πάσχειν ὑπὸ τοῦ βουλομένου ὅ τι ἂν πάσχῃ πλὴν θανάτου* et paulo post *διὰ τοῦτο δ᾽ ἐποίησεν ὁ νόμος, πλὴν θανάτου, τἄλλα ὑβρισθεῖσαν αὐτὴν μηδαμοῦ λαβεῖν δίκην*), ut certe in verbis formulae: *ἐὰν δ᾽ εἰσίῃ, νηποινεὶ πασχέτω ὅ τι ἂν πάσχῃ πλὴν θανάτου* non offendendum neque illud Aeschinis *καὶ τοῦ ἀνάπηρον ποιῆσαι* desiderandum sit.

Restat, ut de coniectura disputem, qua Van den Es pag. 37 sq. auctoritatem legis labefacere studet; formulam ipsam et oratoris explicationem §§ 85, 86, 87 a rhetore quodam fictas et orationi insertas esse suspicatur. Nullam enim reperit causam, cur Apollodorus illa exposuerit. Ego oratorem aptissime legem attulisse puto, quo magis appareret, quantopere a Phano et a Stephano, quo auctore omnia facta erant, contra fas ac ius actum esset. Phano enim orator eodem loco et numero habet cum mulieribus in adulterio deprehensis, quoniam ab Epaeneto adulterata erat et matris mores sequens meretricium quaestum fecerat. Priore igitur legis parte provisum est, ne cives cum talibus feminis viverent (*ἐπειδὰν δὲ ἕλῃ τὸν μοιχόν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί*). Stephanus autem Phano archonti regi ipsi in matrimonium dederat. Deinde, id

quod gravius est, cum per legem adulteris sacra publica ne spectare quidem liceret, illa ipsa sacra fecerat, quae quam antiqua et sancta essent, orator § 74 sq. disseruit.

Quamquam igitur sine dubio apte lex allata est, non video, quam ob rem rhetori, de quo Van den Es dicit, in mentem venire potuerit, ut illa, quae in paragraphis 85, 86, 87 insunt, fingeret. Neque enim aut in priore orationis parte aut in iis, quae sequuntur, quidquam reperitur, quod ad hanc legem spectet.

Caput III.

De ceteris formulis.

1. De iure iurando p. 1371 § 78.

Ἁγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων καὶ ἀπ᾽ ἀνδρὸς συνουσίας, καὶ τὰ θεόγνια καὶ τὰ ἰοβάκχεια γεραρῶ τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις.

Iure iurando hoc sacerdotes, quae *γεραραί* vocabantur, priusquam sacra tangerent, a regis uxore adigebantur. De eo iudicium facere difficillimum est, cum, quod sciam, nullo alio loco eius mentio fiat. Ex verbis § 78 *ἵνα καὶ τοῦ ὅρκου καὶ τῶν λεγομένων ἀκούσητε, ὅσα οἷόν τ᾽ ἐστὶν ἀκούειν* et § 79 *τοῦ ὅρκου καὶ τῶν νομιζομένων πατρίων, ὅσα οἷόν τ᾽ ἐστὶν εἰπεῖν, ἀκηκόατε* effici puto, non totum iusiurandum a scriba esse recitatum. Neque igitur meo iudicio cum Mommsenio [1]) in eo offendere licet, quod nonnulla, quae in iure iurando inesse solent, in formula illa non reperiuntur.

Codices F Σ Φ vocem *θεόγνια* praebent, ceteri *θεοίνια*; utrum praeferendum sit, diiudicare non audeo. Apud Harpocrationem s. v. *θεοίνιον* haec inveniuntur: *τὰ κατὰ δήμους Διονύσια Θεοίνια ἐλέγετο, ἐν οἷς οἱ γεννῆται ἐπέθυον· τὸν γὰρ Διόνυσον θέοινον ἔλεγον.* Hesychius vocem sic interpretatur: *θυσία Διονύσου Ἀθήνησιν (καὶ θεὸς θέοινος Διόνυσος)* idemque s. v. *Ἰόβακχος* praebet: *ὁ Διόνυσος ἀπὸ τῆς βακχείας.*

---

[1]) Heortologie pag. 358 annot.

Iis, quae prior pars formulae continet (*ἁγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων καὶ ἀπ᾽ ἀνδρὸς συνουσίας*), praeclare comprobatur id, quod orator comprobare studet, Phano munere reginae indignam fuisse. Sine dubio enim illa indigna erat, quae tam castis virginibus praeesset easque ipsa iure iurando adigeret.

2. De decreto p. 1380, § 104.

Ἱπποκράτης εἶπε Πλαταιέας εἶναι Ἀθηναίους ἀπὸ τῆσδε τῆς ἡμέρας, ἐντίμους καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι, καὶ μετεῖναι αὐτοῖς ὧνπερ Ἀθηναίοις μέτεστι πάντων, καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων, πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους, μηδὲ τῶν ἐννέα ἀρχόντων, τοῖς δ᾽ ἐκ τούτων. κατανεῖμαι δὲ τοὺς Πλαταιέας εἰς τοὺς δήμους καὶ τὰς φυλάς. ἐπειδὰν δὲ νεμηθῶσιν, μὴ ἐξέστω ἔτι Ἀθηναίῳ μηδενὶ γίγνεσθαι Πλαταιέων, μὴ εἱρομένῳ παρὰ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων.

Orator postquam longa digressione omnia enumeravit, quibus Plataeenses amicos Atheniensium se praestitissent, decretum affert, quo illi in numerum civium atticorum recepti erant. Quod eo facit concilio, ut iudices iutellegant, semper in civitate conferenda summam cautionem adhibitam esse.

Percensentibus nobis decretum, quod paragrapho 104 orationis insertum exstat, multa occurrunt, propter quae singulis non accuratius examinatis facile dubitare possis, num formula genuina sit. Primum enim praescriptiones, quae vocantur, omnes praeter nomen eius, qui rogationem tulit, desunt. Deinde duo in decreto desiderantur, quae orator in eo inesse dicit, et illud § 105 *καὶ ἠξίωσε τοὺς Πλαταιέας λαμβάνοντας τὴν δωρεὰν πρῶτον μὲν δοκιμασθῆναι ἐν τῷ δικαστηρίῳ κατ᾽ ἄνδρα ἕκαστον, εἰ ἔστι Πλαταιεὺς καὶ εἰ τῶν φίλων τῶν τῆς πόλεως* et ea, quae sequuntur *ἔπειτα τοὺς δοκιμασθέντας ἀναγραφῆναι ἐν στήλῃ λιθίνῃ καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει παρὰ τῇ θεῷ.* Hoc loco non cogitari posse de oratoris fraude Schaefero (cfr. eius annot.) plane assentior. Immo utrumque, quod orator praecipue commemorat, in multis de conferenda civitate titulis invenimus. Confer, ut unum exemplum ponam, C. J. A. II 309, v. 32:

εἰςαγαγεῖν δὲ τὴν δοκιμασίαν τοὺς θεσμοθέτας εἰς τὸ πρῶτον δικαστήριον κατὰ τοὺς νόμους. ἀναγράψαι δὲ τὸ ψήφισμα τὸν γραμματέα τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει.

Tum illa *κατανεῖμαι δὲ τοὺς Πλαταιέας εἰς τοὺς δήμους καὶ τὰς φυλάς* offensioni sunt, quia ex titulis apparet, *δημοποιήτοις* arbitrium demos et phylas eligendi Athenis permissum fuisse. [1]) Denique nihil in decreto de phratriis praeceptum invenimus, de quibus in titulis idem, quod de phylis ac demis praecipi solet. [2])

Quamquam igitur formula non pauca habet, in quibus offendamus, tamen eam a falsario fictam esse negaverim. Id quidem fortasse concedendum est, falsarium de illis, quae ad demos et phylas spectant, falsa scribere potuisse, cum antiquitatum atticarum non ita peritus esset; valde autem dubito, num quisquam eum tanta ignorantia fuisse existimet, ut nesciret, praescriptiones, quae vocantur, addendas esse. Neque video, qua de causa falsarium illa, quae orator ipse in decreto inesse dicit, plane neglexisse censeamus, cum et nonnulla, quae orator ut argumentationi inutilia non commemoravit, in eo reperiamus et illa *ἐπειδὰν δὲ νεμηθῶσι, μὴ ἐξέστω ἔτι Ἀθηναίῳ μηδενὶ γίγνεσθαι Πλαταιέων, μὴ εὑρομένῳ παρὰ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων* haud dubie accuratius scripta sint quam ea, quae § 106 legimus: *καὶ ὕστερον οὐκ ἐᾷ γίγνεσθαι Ἀθηναῖον ἐξεῖναι ὃς ἂν μὴ νῦν γένηται καὶ δοκιμασθῇ ἐν τῷ δικαστηρίῳ.*

Nihil igitur aliud meo iudicio relinquitur, nisi ut formulam maxime mutilatam esse iudicemus. Nam cur in hoc decreto de phylis ac demis non idem statutum sit, quod in titulis reperimus, Buermannus recte explicare mihi videtur, qui in Fleckeisenii annal. IX pag. 607 haec annotat „Ob auch bei Massenaufnahmen die Wahl der einzelnen Korporationen in das Belieben der Aufgenommenen gestellt, oder ob in diesem Falle vielmehr eine Vertheilung von Staatswegen vorgenommen wurde, darüber lässt sich, da der bei Ps. Dem. g. Neaera § 104 eingelegte Beschluss nichts sicheres beweisen kann, nur eine

[1]) Cfr. Buermann, Fleckeisenii annal. suppl. IX 606.

[2]) Ibidem pag. 604.

Vermuthung aufstellen. Mir scheint die Annahme einer officiellen Vertheilung nicht unwahrscheinlich zu sein, weil sich sonst leicht eine Menge Neubürger in eine einzelne Korporation hätten zusammendrängen und so das Stimmenverhältnis zu Ungunsten der Altbürger hätten verschieben können." Eodem auctore (cfr. pag. 601) coniecerim, post verba illa *καὶ τὰς φυλάς* aut vocem *φρατρίας* aut nonnulla, quae de ipsis phratriis erant, intercidisse.

Van den Es pag. 24 de illis, quae § 106 legimus *ἔπειτα καὶ τὸν νόμον διωρίσατο ἐν τῷ ψηφίσματι πρὸς αὐτοὺς εὐθέως ὑπέρ τε τῆς πόλεως καὶ τῶν θεῶν καὶ μὴ ἐξεῖναι αὐτῶν μηδενί* etc. haec disputat: „Quid ex prioribus vocabulis eliciendum sit, non difficile est dictu: illa pro re publica et pro diis, *ὑπέρ τε τῆς πόλεως καὶ τῶν θεῶν*, significant, iis omnium iurum et civilium et divinorum communionem datam esse." Apparet, virum doctum perperam verba illa *ὑπέρ τε τῆς πόλεως καὶ τῶν θεῶν* interpretatum esse. Illis enim *τὸν νόμον διωρίσατο εὐθέως ὑπέρ τε τῆς πόλεως καὶ τῶν θεῶν* orator laudat, eum, qui rogationem tulerat, legem illam *καὶ μὴ ἐξεῖναι* etc. secutum esse, eumque ita constituisse dicit pro re publica et pro diis. Ad rem publicam enim ea pertinent, quae in decreto de munere archontum inveniuntur, ad deos ea, quae ille de sacerdotiis statuerat.

Restat autem in formula difficultas, quam me non plane tollere posse libere fateor. Eam iam Petitus[1]) cognovit. „Mendose, inquit, hic legitur *πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους*, nam ne indigenae quidem cives Athenienses poterant capi sacerdotes, ubi sacerdotium erat alicuius gentis aut familiae proprium, nisi de ea gente aut familia essent. Praeterea Demosthenes in sequentibus (cfr § 106) satis clare explicat, omnia sacerdotia excipi, non illa tantum, quae *ἐκ γένους* erant." Itaque sic ille scribendum esse putat: *πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν εὐγενῶν μηδὲ τῶν ἐννέα ἀρχόντων*; quam coniecturam Wesselingius quidem[2]) iure refutavit, falso tamen

---

[1]) Comm. in leges atticas lib. II tit III.

[2]) Cfr. eius annotationem ad locum.

in verbis illis difficultatem inesse negans. Neque enim comprobare possum, quod dicit, verba *ἐκ γένους* ad vocem *τελετή* solam pertinere, sed mea sententia ex ordine verborum *πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους* efficitur, illa etiam cum voce *ἱερωσύνη* coniungenda esse.

Quoniam autem formulam maxime mutilam esse vidimus, nescio an ita difficultati mederi possimus, ut etiam post illa *καὶ ὁσίων* nonnulla excidisse coniciamus. Equidem putaverim, in decreto integro haec fere fuisse: *μετεῖναι αὐτοῖς ὧνπερ Ἀθηναίοις μέτεστι πάντων, καὶ ἱερῶν καί ὁσίων, ἀλλὰ μὴ τῶν ἱερωσυνῶν, τοῖς δ' ἐκ τούτων, πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους.* Ita si conicere licet, illa, quae § 106 et § 92 legimus, non repugnant verbis formulae. Quidquid autem de iis iudicandum est, falsarii ea non esse mihi videntur. Neque enim meo iudicio falsarius quidquam scripsisset, quod apertis oratoris ipsius verbis contrarium esset; neque opponi potest, falsarium oratoris explicationem §§ 105, 106 omnino neglexisse, cum illa *καὶ ὕστερον οὐκ ἐᾷ γίγνεσθαι Ἀθηναῖον ἐξεῖναι ὃς ἂν μὴ νῦν γένηται* in decreto inveniantur.

Demonstravisse mihi videor, ea, quae viri docti contra fidem formularum protulerunt, quae in oratione adversus Neaeram exstant, aut nullius aut non magni esse momenti. Quoniam autem omnibus huius orationis litis instrumentis subscriptione stichometrica fides conciliatur et nonnullorum testimoniorum auctoritas certissimis argumentis confirmatur, dubitari non potest, quin ceterae quoque formulae, quas ab eodem atque testimonia illa orationi insertas esse consentaneum est, genuinae sint existimandae.

Epimetrum.

Postquam commentationem meam iam ad finem perduxi, nuperrime duos viros doctos de eadem materia disputavisse comperi: Staekerum dissertatione Halensi, quae inscribitur „De litis instrumentis, quae extant in Demosthenis, quae feruntur, posteriore adversus Stephanum et adversus Neaeram orationibus" et Kirchnerum commentatione, quae inserta est Mus. Rhen. vol. 40 p. 377 sq.: „Zur Glaubwürdigkeit der in die (demosthen.) Rede wider Neaera eingelegten Zeugenaussagen." Et Staeker quidem plurima litis instrumenta, quae in oratione adversus Neaeram exstant, genuina, nonnulla supposita esse censet. Sed offensiones, quibus commotus cum Westermanno de auctoritate testimoniorum §§ 34, 54, 71 dubitat, me iam supra sustulisse puto. De nonnullis argumentis, quae Westermannus et alii contra ceteras formulas attulerunt, idem iudicat atque ego; sed fidem earum aliis quoque et gravioribus argumentis confirmavisse mihi videor. Multa autem, quae ille disputat, omnino non comprobo; ex quibus ea, quae maioris momenti sunt, hoc loco paucis commemorare mihi liceat.

Illud, quod Van den Es pag. 22 priore loco fidei legis § 16 opponit, Staeker non intellexisse videtur. Van den Es enim non vituperat, id quod in formula legimus, peregrinum, qui civem in matrimonium duxisset, graviore poena multari quam civem, qui peregrinam duxisset, sed potius, civi, qui fraude circumventus matrimonium iniisset, omnino multam irrogari.

Falso pag. 37 Lysiam Neaerae amatorem vocat; nam constat, Lysiam cum Metanira rem habuisse. Neque igitur recte Staeker dicit, ex eo, quod Neaera corpus suum Lysiae vendiderit, concludi posse, alias quoque Neaeram corpore meruisse. Alterum quoque argumentum, quod Staeker profert, Philostratum, cum antea Neaeram non novisset, omnino illud, quod orator dicit *καὶ ἐμισθάρνει τῷ βουλομένῳ ἀναλίσκειν*, testari non potuisse, futtile videtur. Nam si Neaera Athenis eo tempore,

quo domi Philostrati erat, meretricium quaestum fecerat, hoc Philostratus sine dubio testimonio confirmare potuit.

Verba testimonii § 32 *καὶ καταθεὶς τὸ ἀργύριον ᾤχετο ἀπάγων Ἀθήναζε Νέαιραν* Staeker a falsario quodam adiecta esse existimat. „In fine formulae, inquit, Westermannus suo iure offendit, quoniam neque orator ullo loco dicit, quo Phrynio sese verterit, neque extrema verba cum ceteris ullo modo cohaerent neque omnino ad rem pertinent.“ At primum orator illis § 33 *ἀφικόμενος τοίνυν δεῦρο ἔχων αὐτήν* etc. aperte ac dilucide dixit, Neaeram et Phrynionem Athenas venisse; tum ex verbis *καὶ καταθεὶς τὸ ἀργύριον ᾤχετο ἀπάγων Ἀθήναζε Νέαιραν* apparet, Neaeram condicionem illam a Timanorida et Eucrate latam *ἐφ᾽ ᾧ ἐν Κορίνθῳ μὴ ἐργάζεσθαι* re vera servavisse.

Tum vir doctus (pag. 47) putat, oratorem testimonium Phrastoris, quod § 55 promiserat, re vera attulisse idque initio etiam orationi insertum fuisse. Sed primum explicare non potest, cur hoc testimonium exciderit, cum omnes huius orationis formulae nobis servatae sint; tum id quoque, ut ipse intellexisse videtur, sententiae eius obstat, quod orator § 61 de Brytidarum tantum testimonio dicit. Quem scrupulum ut amoveat, conicit, initio et verba illa *καὶ ὅτι ταῦτα ἀληθῆ λέγω, τούτων ὑμῖν μάρτυρας τοὺς παρόντας Βρυτιδῶν παρέξομαι* et Brytidarum testimonium orationi post § 60 inserta fuisse, postea autem a librario quodam in fine narrationis esse posita. Ego neutram coniecturam probo, qui supra satis explicavisse mihi videar, cur orator neque Phrastorem vocaverit, ut testaretur, iurare se noluisse, neque id ipsum in Brytidarum testimonio inscripserit.

Plane autem inconsiderate Staeker pag. 54 de verbis decreti *πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους* sic iudicavisse mihi videtur: „Non multum valet, quod orator dicit, Plataeenses *μηδεμιᾶς ἱερωσύνης μετέχειν*, cum in formula legamus *μετεῖναι καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων, πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους*. Cum enim longe plurima sacerdotia hereditate intra gentes, in quas quidem Plataeenses non recipiebantur, tradita sint, orator non prorsus accurate Plataeenses omnium sacerdotiorum expertes esse dicit.“ At orator et hoc loco et § 92

de lege quadam loquitur, qua *δημοποίητοι* ipsi ab omnibus sacerdotiis excludebantur, non solum ab iis, quae gentis alicuius propria erant, id quod per se manifestum est, sed ab omnibus aliis quoque, quae eorum filii quidem administrare poterant. Apparet igitur, Staekerum dificultatem, quae in verbis illis *πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους* inest, omnino non cognovisse. —

Kirchner, qui omnia huius orationis testimonia genuina esse demonstrare studet, praeter nomen Stephani Eroeadae nonnulla alia quoque nomina, quae in testimoniis inveniuntur, in inscriptionibus exstare ostendit. Ea autem, quae Westermannus contra testimoniorum argumentum attulit, minime omnia refutavisse mihi videtur. Nonnulla plane silentio praetermisit: ne verbo quidem dicit, quid de illis § 23 *ὡς οὖν ἀληθῆ λέγω ὅτι . . . ἐμισθάρνει τῷ βουλομένῳ ἀναλίσκειν . . . Φιλόστρατον μάρτυρα καλῶ*; § 41 *διεγγυηθεῖσα δ᾽ὑπὸ Στεφάνου* etc.; § 84 *τὸν Θεογένην . . . ἀναγκάσω μαρτυρεῖν* existimandum sit. Complura alia mea sententia aut non recte aut non satis refellit. Ea autem, quae de testimoniis §§ 54, 61, 71, 84 exposuit, omnia fere improbo. Assentior quidem viro docto, in testimonio § 54 non diserte dici, primum Stephanum, tum Phrastorem accusatum esse; neque vero id Westermannus contendit; sed is in eo offendit, quod ex testimonio non potest intellegi, quo modo singula inter se cohaereant, cum id, quod primum factum erat (*καὶ λαχόντος αὐτῷ Στεφάνου εἰς Ὠιδειῶν σίτου*), in fine testimonii commemoretur, accusationis autem Phrastoris, quae ex illo orta erat, statim initio testimonii mentio fiat (*μαρτυρεῖ, ἐπειδὴ ᾔσθετο . . . γράψασθαι αὐτὸν γραφὴν πρὸς τοὺς θεσμοθέτας*). Cur autem ita testimonium compositum sit, Kirchner non explicat.

Tum contendit, Apollodorum nihil habuisse, cur testimonio confirmaret, Phrastorem iusiurandum deseruisse, cum ex iudicio illo Brytidarum satis intellegi posset, Phano esse peregrinam. At orator ipse hoc non solum ex Brytidarum, sed etiam ex Phrastoris sententia concludi vult atque postea quoque (§ 63) exponit, illum ipsum, cum iurare nollet, declaravisse, quid de Phanus origine existimaret. Sine dubio igitur

Westermannus non temere in eo offendit, quod nihil eiusmodi in testimonio invenitur.

Deinde Kirchner non intellexit, quo modo Apollodorus § 64 sq. ex Stephani pravitate comprobare studeat, Neaeram ac Phano peregrinas esse. Neque enim orator ita argumentatur, ut vir doctus existimat: „Nun aber hatte Epaenetus zugegeben, sich mit jenem Weib eingelassen zu haben, er konnte also einen Process bei den Thesmotheten anhängig machen nur in der Erwägung, dass auf ihn, weil er sich mit einer nicht Ebenbürtigen abgegeben, das Gesetz über Ehebruch keine Anwendung fände. Durch die wenigen Worte *ὅτι αὐτὸν ἀδίκως εἶρξε*, glaube ich, wird demnach den Anforderungen, die Westermann an diese Aussage stellt, volles Genüge geleistet“; sed orator ipse § 67 plane ac diserte exponit, Epaenetum defendisse, propterea moechum existimari se non posse, quod Phano meretricio more viveret. Suo igitur iure Epaenetus, etiamsi Phano Stephani filiam esse putabat, tamen illum in ius vocare potuit.

Qua de causa Kirchner § 79 *γεγενημένων* pro voce *γεγενημένην* scribendum esse censeat et quomodo verba *ὅμως δὲ αὐτοῖς τοῖς πεπραγμένοις ἐπιδείξω φανερὰν οὖσαν αὐτὴν καὶ ἀληθῆ* interpretetur, non intellego. Neque recte dicit, Westermannum illis verbis pro argumento contra testimonii fidem usum esse; immo Westermannus ea nimis neglexit; ex iis ipsis autem apparet, Theogenem testimonio nihil aliud confirmavisse, nisi quod formula nobis servata continet.

Verba § 30 *ἀσελγῶς δὲ καὶ πολυτελῶς διάγοντα τὸν βίον* non, ut Kirchner contendit, de Demochare, sed potius de Phrynione ipso dicta sunt. Omnes enim codices praebent: *Φρυνίωνα . . . Δημοχάρους ἀδελφόν, ἀσελγῶς δὲ καὶ πολυτελῶς διάγοντα τὸν βίον*, non id, quod Kirchner scribit, ... *διάγοντος τὸν βίον.*

Postremo neque Staeker neque Kirchner animadvertit, offensiones omnes, quas sermo testimoniorum praebet, idcirco nullas esse, quod sermo orationis ipsius, quam ab eodem atque testimonia scriptam esse Westermannus comprobavit, non minus neglegens est.

Vita.

Natus sum Josephus Riehemann Osnabrugi a. d. XIII Kal. April. anni huius saeculi LXV patre Josepho, matre Sophia e gente Elbert, quam praematura morte mihi ereptam esse valde doleo. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus per novem annos et sex menses gymnasium Carolinum Osnabrugense frequentavi. Maturitatis testimonio instructus autumno anni h. s. LXXXI, ut studiis philologicis operam navarem, Monasterium me contuli. Vere anni h. s. LXXXIII ad Almam Matrem Lipsiensem accessi, ubi usque ad hoc tempus versatus sum. Docuerunt me viri illustrissimi Hagemann, Langen, Niehues, Parmet, Schaefer, Schlueter, Stahl, Storck Monasterienses; Brugmann, Curtius, Eckstein, Lange, Lipsius, Ribbeck, Strümpell, Zarncke Lipsienses. Per annum proseminari Monasteriensis, per sex menses proseminari Lipsiensis sodalis fui. Langi, Lipsi, Ribbecki benignitate mihi contigit, ut in societates eorum philologicas reciperer. Zarncke ad exercitationes theodiscas me admisit.

Magistris meis omnibus, praeter ceteros autem Lipsio, de studiis meis optime merito, maximam gratiam habeo.

